






JOSEPHI ABUDACNI

HISTORIA JACOBITARUM,

Seu

COPTORUM,

cum Notis

JO. NICOLAI.

HISTORIA JACOBITARUM,

Seu

COPTORUM,

In ÆGYPTO, LIBYA, NUBIA, ÆTHIOPIA tota, & CYPRI Insulæ parte habitantium,

OPERA

JOSEPHI ABUDACNI,

seu BARBATI,

Nati Memphis Ægypti Metropoli, cum Annotationibus

JOANNIS NICOLAI,

Antiq. quondam in ACADEMIA TUBINGENSI Professoris Celeberrimi.

Vulgavit nunc primum ex Bibliotheca sua

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOANNEM HASEBROEK, 1740.


ASHMOLEAN MUSEUM
EX LIBRIS
W. E. CRUM
1945
OXFORD

VIRO CLARISSIMO

ET

PLURIMUM REVERENDO,

ALBERTO SCHULTENS,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI,

ET

LINGUARUM ORIENTALIUM

IN ACADEMIA BATAVA

QUÆ LEIDÆ EST

PROFESSORI,

COLLEGII THEOLOGICI

ILLUSTR. AC PRÆPOT. ORDINUM

HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ

REGENTI,

MSS. ORIENTALIUM

LEGATI WARNERIANI

INTERPRETI,

OMNIS LITERATURÆ ORIENTALIS,

ATQUE IN PRIMIS

LINGUÆ ARABICÆ,

INSTAURATORI UNICO,


COLLEGÆ CONJUNCTISSIMO,

HANC

HISTORIAM JACOBITARUM

D. D. D.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.



AD

LECTOREM.

JOsephi *Abudacni*, five *Barbati*, *Historiam Jacobitarum*, five *Christianorum Coptorum*, Oxonii A. 1675. typis vulgatam fuisse deprehendimus. Tenuis est libellus & perire facilis, atque propterea paucis cognitus apud pauciores inveniri solet. Comprehendit tamen quidquid de longissime remotis hisce Christianis scire licet, & utique scire dignum est atque utile. Hanc Ecclesiasticæ Antiquitatis partem, diligentia multa & varia eruditione celebris, illustrandam quoque sibi sumserat JOANNES NICOLAI, atque Commentariolo bonæ frugis exornaverat. Opusculum hoc una cum reliquis, quæ nunc in lucem proferimus, *Tubingensis* ejus *Professoris* scriptis ad Nos devenit. Quod, licet in fine mutilum, discerptis paucis ibidem foliis, atque deperditis, luci tamen publicæ invidere noluimus; quoniam plura illa, quæ super-

persunt, tam singularem & amænam Lectori de *Jacobitis* subministrant cognitionem, ut abunde cuique satisfacere posse credamus. Atque ita fidem publice datam exsolvimus, & P. M. *Joannis Nicolai* præstitimus id, quod debere arbitrabamur; à quo conversi ad octogenarii senis, Viri Optimi atque Eruditissimi, *Jo. Bapt. Ottii* Curas Josephicas, & illi & bonis omnibus gratificari studebimus. Fervet videlicet, obstreticantibus Nobis, sub prelo Opusculum ejusdem Docti & Venerandi Helvetii, in quo, *Raphelianoj* more, *Novum Testamentum* suscepit ex *Josepho* præcipue illustrandum. Novum hunc fœtum, intra paucos menses in publicum proditurum, pro suo Virique merito, quum omnibus, tum in primis S. S. Theologiæ Studiosis, commendamus.

Lugd. Bat.
Kal. Jul.
1740.

PRÆ-

PRÆFATIO,
AD
JOSEPHI ABUDACNI
Lib. de JACOBITIS,
Sive Christianis Coptitis.

C



Ides Christiana in Ægypto sub ipsis Euangelii initiis, S S. Apostolorum, & (a) *speciatim D. Marci præconio,* & *auspiciis olim plantata,* (b) *pro soli feracissimi indole, egregia protenus incrementa fecerat: nimirum* (c) *hic loci humaniores literæ* (d) *Theologiæ famulari primum didicerant, hic* (e) *Ammonius,* (f) *Pantænus,* (g) *Clemens,* (h) *Tatianus,* (i) *Origines,* & *terrarum orbi par* (k) *Athanasius, ut alios præteream, ortum duxere: hic omnis* (l) *Ascetica disciplina nata* & *exculta est:* (m) *hic temporum putatæ rationes,* & (n) *solennitatis Paschalis perpetua designatio, quæ exinde* (o) *per encyclicas literas ad Ecclesias reliquas transmissa; hic demum mensium paucorum spatio, centum quadraginta hominum millia* (p) *sub Diocletiano ob fidem Christianam cæsa, septingenta in exilium acta, unde* (q) *Æra Martyrum non immerito obtinuit. Nec certe alibi terrarum felicius pietas Christiana radices egit, donec tertio seculo* (r) *Arrium,* & *cum eo* (s) *fœdissimam hæreseos lernam*

protulerat; quibus per (t) *Nicenam Synodum, accedente Principum atque Episcoporum Orthodoxorum cura, profligatis statim, nimirum* (u) *quarto seculo* (w) *Eutyches Monasterii Constantinopolitani* (x) *Archimandrita,* (y) *novas res in Ecclesia moverat,* (z) *&* *à Concilio Constantinopoli coacto damnatus* (aa) *ad Dioscorum Alexandrinum confugiens,* (bb) *causæ suæ patrocinium ab ipso petiit & reportavit: unde labes illa per* (cc) *Ægyptum sparsa, à Jacobo Syro Barradiensi nomen, &* (dd) *incrementa deinceps acceperat. Quæ secta exinde* (ee) *magis invaluit seculo* V. (ff) *ineunte Imperium Leone parvo, & succedentibus Zenone Isaurico, & Anastasio; donec* (gg) *sub Justino, & Justiniano in ordinem cogeretur; qui Principes* (hh) *seculari brachio* (ii) *Concilii Chalcedonensis decreta munientes, Orthodoxis* (kk) *Melchitarum nomen fecere. Cum ergo* (ll) *acrius in dissentientes animadverteretur, & Præfecti Alexandrini, in pœnis exigendis modum excessissent; accidit per ea tempora* (mm) *ut Saraceni in Ægyptum facerent impetum; unde exacerbatis* (nn) *diutina injuria animis, malignius in publicam tutelam accingebantur Jacobitæ; imo cum à Sociis Christianis, ac sacri istius Nominis hostibus pariter esset timendum; in Mahometis patrocinio refugium quæsivere. Unde Impostor dixisse fertur,*

Be-

Benefacite Coptitis Ægypti, sunt enim vobis genere, & affinitate juncti; *item*, Christiano *Coptitæ* qui nocet, mihi nocet. *Atque utinam importuna persecutio diversa in Fide sentientium per Hungariam, non pariter Christianam rem afflixisset hoc ipso seculo, miserosque in nefaria castra perpulisset.*

Porro cum Jacobitæ Ægyptiaci sive Coptitæ jugum Mahometicum haud ægre admitterent, mitius à victoribus habiti, æquiorem servitutem Christianis reliquis sensere; unde & (oo) numero sunt etiamnum longe potiores, & Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in sua ad Uytenbogaert Epistola An. 1613: *perscripta, affirmat* Decies superare numerum Græcorum; *addito hemistichio Homerico*, Iliad. II. 128.

Πολλαίκεν δεκάδες δευοίατο &c.

De illorum præsenti statu, siquidem non modo Terrarum tractu ab Europa nostra Occidentali, sed, & dogmatis suis diffideant; quæ referuntur, aut prorsus fabulosa; aut ex partium studiis parum candida habentur; nimirum ea Peregrinantium medullis inhæret fingendi libido, ut pro rerum gestarum Historiis, Auditiones admirandas domum reportent: & natis in Religione dissidiis, id unum fere agitur, ut contumeliis; & criminationibus adversarii vincantur. Cum ergo Josephus Abudacnus *in ipsa Cairo natus, vir quidem parvus literatus, sed inculpatis* mo-

moribus, & rerum in patria sua gestarum testis locuples, brevem commentarium, de cultu & moribus Popularium suorum nuper contexuerit: non abs re futurum judicavimus si publica luce donaremus; præsertim, cum sine magna temporis aut impensarum jactura, & imprimi & perlegi potuerit.

Prodibunt brevi, bono cum Deo, ex Typographeo nostro Euangelii versio antiquissima lingua & Characteribus Copticis, nec non authenticæ ejusdem Ecclesiæ Liturgiæ, quæ lectoribus eruditis non ingrata fore confidimus.

ANNOTATIONES AD PRÆFATIONEM.

D. Marcus Præconium Evangelii in Ægypto fecit.

(*a*) *Speciatim Marci præconio*] Autor hujus præfationis, quisquis ille, fidem Christianam in Ægypto statuit sub ipsis Evangelii initiis, adeoque Christi Salvatoris nostri ascensioni proximis. Unanimiter autem prope testantur Antiquitatis Ecclesiasticæ Scriptores, quod Evangelista *Marcus* Apostoli *Petri* comes individuus, &, ut nonnulli tradunt, ex Sorore nepos, primus omnium Ægyptiis Evangelium prædicarit, adeoque & *Alexandriæ* Patriarcha sive Episcopus primus fuerit creatus. Videatur *Petrus de Natalibus Episcop. Ratisbonens.* qui & totam *Marci* Evangelistæ vitam pertexit in Catalogo Sanctorum. Ante illum

lum *Euſeb. Pamph. lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap.* XVI. diſerte ita ſcripſit: *Marcum hunc* ajunt *in Ægyptum miſſum, Evangelium illic, quod & conſcripſerat, prædicaſſe, primumque Eccleſias Alexandriæ conſtituiſſe.* Quo tempore autem Scripſerit Evangelium, non prolixe diſſeremus, remittimus tamen Benevolos Lectores ad *celeber. Johannem Henricum Majum Fautorem noſtrum venerandum,* qui *in examine hiſtor. Critic. pag.* 123. fuſe de hac re egit. *Samuelem Baſnag.* qui quoque *in Exercit. Critic. in Baron. Annal. pag. m.* 379. *edit. Ultraject.* 1692. erudite diſſerit. confer. *B. Joh. Erneſt. Gerbard diſſ. de Eccleſ. Coptic. edit. Jenenſ.* 1666. qui & lingua Græca ſcripſiſſe *Marcum* pluribus teſtimoniis probat. Nos ergo hic quærimus, quando *Marcus Alexandriæ* Evangelium prædicaverit? Reſpondet pro nobis *Eutychius Ægyptius in Origin. Eccleſiæ ſuæ,* aſſerens, quod anno nono *Claudii* Cæſaris *Marcus* Evangeliſta in urbe Alexandriæ verſatus ſit, ut inde propagaretur apud homines fides in Chriſto Domino noſtro. Ut igitur teſtimonium firmius ſit, operæ pretium eſſe duximus, ipſa Arabica verba adſcribere, quæ cl. *Seldenus* Latinitate donavit, & ſequentia ſunt: تسع سنين من قلوديوس قيصر كان مرقص الانجيلي بمدينة الاسكندرية يدعوا الناس الى الايمان بالمسيح سيدنا i. e. *Annus agebatur Claudii Cæſaris nonus cum Marcus Evangeliſta in urbe verſatus Alexandriæ, ut inde propagaretur fides in Chriſto Domino.* Ad quæ verba prælaudatus Anglus hæc commentatur. *Non habetur ante hunc annum (i. e. Chriſti vulgarem* XLIX.) *in Annalibus* Eutychii, *unde Origines hæ ſumuntur,* Marci *Evangeliſtæ mentio.*

Sed sexennio aut circiter apud Eusebium *&* *Chronologos, quos vulgo sequimur, antevertit ejus per Ægyptum prædicatio prima, tertio scil.* Claudii *tributa. Quæ item nonnullis sub* Tiberio Cæsare *collocatur, uti videre est tum in Ritualium Græcorum die* XXV. *April. seu Marci festo, ac Synaxariis, tum apud* Nicephorum Callistum lib. II. cap. 43. *In Fastis etiam Siculis sub anno* Tiberii XVIII. ἐχειροτονήθησαν ἐπίσκοποι *creati sunt Episcopi*, Romæ Petrus, Alexandriæ Marcus *&* Hierosolymis Jacobus *frater Domini.* hæc *Seldenus*. Ex his satis elucet, *Marcum* in Ægypto seu Alexandr. docuisse & fidem Christianam propagasse, conf. *Eduard Simson. Chron. Cathol. part.* VII. *fol. m.* 72. *edit. Oxon. ad ann. Christi* XLIV.

Fertilitas & amænitas Ægypti.

(*b*) *Pro soli feracissimi indole*] Quia ibi aëris salubritas juxta *Curtium lib.* IV. & *Nicol. Lloyd. in dictionario suo Geographic.* terræ amœnitas, frugumque uber proventus, plurimos ad inhabitandum invitabat.

Academia Alexandrina.

(*c*) *Hic loci humaniores literæ*] Nam hic Academia fuit celeberrima, in qua omnis generis studia floruerunt, & ut verbis B. *Hermanni Conringii dissert.* I. *de Antiquit. Academ.* utamur *pag. m.* 43. *edit. Helmst.* illa pene omnia habuit. Omnes literarum amasii ex Asia, Africa atque Europa eo confluxerunt, ita ut viro docto turpitudini prope fuerit, literis operam dedisse, nec Alexandriam, literarum & scientiarum emporium vidisse. Contra vero pro omni experimento tum temporis Medico suffecerit, etiam ad commendandam artis suæ authoritatem, si Alexandriæ se dixerit eruditum, teste *Marcellino lib.* XXII. Sic & aliarum artium ac disciplinarum studia ibidem quam optime excolebantur, adeo ut omnium facul-

facultatum Doctores celeberrimi ex illa tanquam ex equo Trajano, ut dici solet, prodierint Conf. *Heidm.* & *Euseb.* item *Joh. Buno ad Cluver. Geograph.* Theologos enim si quis desiderat? ex Alexandria dabit *Clementes*, *Pantænos*, *Origenes*, *Didymos*, *Athanasios*, *Gregorios*, *Athenagoras*, *Basilios*, aliosque, quorum nescimus, an eloquentiam potius, disputandi acumen, omniumque fere rerum, quarum notitia in virum evadere doctum potest, stupendam peritiam admirari debeamus; an sincerum pietatis studium, animumque pro veritate cælesti firmissimum. Juris consultos quis exigit? Ecce *Johannem Antonium Rubrum* sive de *Rubris*, *Julium Clarum*, qui Doctor Doctorum viris eruditis audit, aliosque plures, tibi *Alexandria* ostendet. Medicos quis avet? *Alexandriam* adeat, nec defuisse hos negabit, si iis, quæ paulo ante retulimus, fidem habuerit. Oratores quis expetit? en eadem *Apollonium* cognomento δύσκολον monstrabit. Historicos? Ecce *Appianum*, qui historiam Romanam XXIV. complexus est libris. Grammaticos habuit *Johannem Philopon.* Grammat. dictum. Hic literæ humaniores edoctæ, & ad has respexit *Gregor. Nyssen. libr. contra Apollinarium* scribens: ὁ μόνης ἐςὶ κοσμικῆς σοφίας εὔφορος, ἡ μεγάλη τῶν Ἀλεξανδρέων πόλις, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀληθινῆς τῆς ὄντως σοφίας παρ' ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς βρύουσιν αἱ πηγαί. Idem in vita *Gregorii Thaumaturgi* indicat sua ætate ad Philosophiam & Medicinam discendam undique juvenes concurrisse.

(*d*) *Theologiæ famulari*] Voluit Autor hujus Præfationis indicare, quod olim studia humaniora Theologis in magno pretio fuerint, secus ac hodie solet, ubi ejusmodi studia, nescimus quo fato, vel argumentis quibusdam levibus injectis, nihili habentur. Ejusdem farinæ habentur & inter

Studia humaniora Theologiæ famulantur.

inter nos aliqui, qui eadem intemperie ducti, ancillis istis Silentium perpetuum imperant, loquente Domina, Autores profanos vel tantillum citare nefas putant, & ut verbo dicamus, tam usum, quam ornatum atque adjumenta omnia humaniorum literarum ab Ecclesia & pulpitis eliminanda esse obganniunt. Quo Spiritu ducti id fecerint, non multum refert exquirere, invidiæ magis an ignorantiæ: equidem aut imperiti sunt, aut malitiosi. Invidia agitati erant *Domitianus, Licinius, Julianus*, Imperatores pessimi: quorum ille non urbe solum, sed orbe pellendos esse Philosophos duxit, hic pestem publicam & virus Reipubl. literas appellavit, *Petriarch. Remed.* 1. *dial.* 43. Tertius lege Christianis interdixit bonarum artium studiis. Imperitiæ mallemus nostros arguere si ita faciunt, quod facturi non essent, si rem intellexissent. In erroris sui confirmationem & rationum momentis & Sacrarum literarum Sanctorumque Patrum abutuntur testimoniis. Primo, *rationibus* sic pugnant; à pari, quia Apostoli non fuerunt humanis literis eruditi, omnem veritatem Spiritus Sanctus docuit, nec Rhetoricam aut Philosophiam docuit tamen. Ab *exemplo*, quia Philosophi ad fidem conversi libros suos publice exusserunt Act. XIX. ab *absurdo* sive *incommodo*, quia doctrinæ sincerioris lues atque venenum Philosophia, errorum mater, hæresium magistra, hæreticorum asylum, sub hoc clypeo militant & Secularis sapientiæ luto infirmo liniant. Ex Scripturis ista proferunt, quod doctrina Christi perfecta, nec Philosophiæ subsidiis indiget, facile crux Christi evacuaretur, si de Ethnicis per humanam sapientiam triumpharet; quod occupationem pessimam & vanitatem & afflictionem Spiritus, studium humanæ litera-

turæ

turæ Ecclesiastes non dubitat dicere; quod arma militiæ nostræ non carnalia, sed spiritualia Paulus 2. Cor. X. pronunciat: quod Colossenses cap. 2. hortatur, ne quis decipiat eos per Philosophiam; quod Deus se sapientiam Sapientum & prudentiam prudentum perdere velle profitetur 1. Cor. I. & sapientiam seculi in stultitiam vertere: quia capite II. Apostolus gloriatur se non venisse ad illos cum eminentia locutionis, aut sublimitate scientiæ, neque in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione Spiritus; denique cum Spiritum mundi non acceperit, sed Dei, id circo non locuturum se sapientiam humanam hujus seculi, nec principium seculi i. e. Philosophorum, sed solam Dei Sapientiam; Scripturæ quoque Patrum testimonia annectunt, *Augustini lib. I. de Actis cum Felice Manichæo c.* I. *Ambrosii apud Gratian. d.* 37. *Epiphan. hæres.* 76. *Hieronym. ad Pammachum*, qui Philosophorum doctrinas rejiciunt. Hæc fere sunt, quæ à male sani cerebri hominibus objici solent. Verum ad hæc respondemus (1) quod ad Sacra Scripturæ loca attinet, sit ista conclusio: Veram Sapientiam Apostolus *Paulus* in locis istis non perstringit, neque germanam Philosophiam alicubi Scriptura damnat, neque moralem, neque naturalem, neque ex toto, neque ex aliqua parte; sed quando contra humanam Scientiam invehitur, falsi nominis ementitam Sapientiam ubivis intelligit, patet hoc ex ipsa Sacra Scriptura se interpretante, (1) ex consensu Interpretum, *Clementis Strom.* I. *Augustin. lib. de pastor.* & aliis, qui omnes veram Philosophiam non damnant, quæ etiam Apostoli mens est, uti pluribus demonstravit Anglus *Richard Holdsworth. in prælect. Theolog. fol. m.* 40. *edit. Londin.* 1667.

Esto igitur, artes liberales pietatem fidei non præstant, animæ conversionem non operantur; sed num nam propterea Theologo inutiles? Apostolos Christus non docuit Geometriam, aut Astrologiam, aut Arithmeticam aut Physicam, non repugnamus; sed num proinde sequitur, ut nobis non possint inservire? Edocti ipsi sunt à Spiritu S. qui plene omnia suggerebat, quæ erant ad Scripturam intelligendum, ad cujusvis generis homines docendum necessaria: Nos autem qui Spiritus peculiare donum non habemus, si humanarum simus literarum ignari, nec divinas percipere sane possumus, nec perfecti esse Ecclesiæ Doctores. Alioqui, si exemplum placet, ignoremus & Grammaticam, quoniam & Apostoli Grammatici non fuerunt; simus Barbari, quia illi non fuerunt Rhetores; cedamus hæreticorum Elenchis, quia ipsi non didicerunt Dialecticam; à studiis & meditationibus abstineamus, quoniam Apostoli repente & ex tempore Sapientissime loquebantur. Imo audiamus potius Augustinum in Joh. *Sunt sine dubio quædam humanæ veritates, quas tametsi Apostoli non sunt edocti, nos tamen utiliter addiscimus.* Æquum ergo est, ne contemnamus famulas & ancillas Theologiæ, quæ usui, nobis esse possunt. vid. cit. Holdsworth. conf. B. Dillher. qui in disput. suis rem claram esse ostendit.

Ammonius. (*e*) *Ammonius*] Alexandrinus summus Philosophus & Præceptor Originis hic ortus teste Porphyr. lib. III. κτ̃ Χριστιανῶν. à puero Christianus fuit, ut *Euseb. lib.* VI. refert, dicens: eum fidem Christianam cum Philosophicis studiis integram indelibatamque servasse usque ad extremum.

Pantænus. (*f*) *Pantænus*] Vel *Pantenus* Theologus eruditissimus, primus Scholæ Ecclesiasticæ præfuit apud

apud Antiochiam A. D. 181. Euseb. Histor. Eccles. lib. V. c. 10.

(g) *Clemens*] Dictus Alexandrinus, Præsul, Pantæni discipulus, Originis præceptor, qui floruit sub *Severo*, uti Hieronym. & Eusebius. Inexhaustæ doctrinæ virum vocat *Casaubon. Exerc.* I. ad Baron. apparat. Feruntur ejus insignia volumina plenaque eruditionis & eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quam de Secularis literaturæ instrumento. *Hier. de Script. Eccles.* Clemens.

(h) *Tatianus*] Rhetor Christianus, de quo Euseb. lib. IV. c. XVI. hist. Eccles. *Tatianus*, inquit, *quoque vir eruditissimus in prima ætate sua magna cum admiratione Oratoriam docuit, ex qua non parum gloriæ quæsierat, postmodum ad nostra se studia convertens libros etiam ipse adversus gentes dignos memoria reliquit.* Conf. *Dictionar. histor. Geograph. Ursell.* 1601. *editum.* Tatianus.

(i) *Origenes*] Vid. *Nicol. LLoyd. Dictionar. Geograph. pag. m.* 718. *edit. Genev.* qui plura de hoc Doctore refert. conf. *Dictionar. Geograph. Ursell. edit.* 1601. *pag. m.* 1138. Qui autem cætera Origenis nosse cupit, adeat *Euseb. lib.* VI. *H. E. Hieronym. in Catalog. Epiphan. hæres.* 64. *Baron. Annal. Halloisium in Origene defensa*, & ut omnes in uno complectamur cl. *Huttium in Origenianis*, ubi vitam, dogmata ac res ab *Origene* gestas accurate describit. Origenes

(k) *Athanasius*] Præsul Alexandrinus, educatus ab Alexandro ejus civitatis Præsule, olim Diaconus, in Concilio Niceno Arianorum hostis acerrimus, deinde maximas perpessus insidias ad *Constantem Galliarum* Regem confugit. *Volater.* Moritur A. D. 377. cum Episcopatum Alexandrinum pace belloque gessisset annis XLVI. vid. Athanasius.

quæ-

quædam de hoc Præsule apud *Vossium H. Gr. pág.* 476. & *Vales. in not. ad Ammian. pag.* 88.

Ascética Disciplina. (*l*) *Ascetica disciplina*] Hæc fuit ejusmodi disciplina, qua homines præ cæteris studio pietatis desudant; hinc *Asceteria monasteria*, vel ut Anglus *Thomas de S. Quercu* refert, *Monasteries, places where men gave them selves to devotion and prayer*. Unde apparet, quod disciplina *Ascetica* tam ad vitam monasticam, quam aliam piam vitam applicari possit. Turcæ ejusmodi hominem vocant الصوفي Alsufi & rigidiorem Sufiorum disciplinam amplexum denotat, quibus inde juxta non paucos appellatio لانهم يختارون الصوف وهو لباس الانبيا quod laneis utantur vestibus, ut olim Prophetæ, vel ut Asceta, & qui in Monasteriis inclusi vivunt ut loquitur *Alzamachsharius*. Nam si ἀσκεῖν & ab eo deducta *Ascetica disciplina* in solis Monachis & Monialibus locum haberet, sequeretur inde omnes Christianos esse Monachos vel Moniales, de omnibus enim id verbum promiscue usurpatur apud Patres, quin ipsa religio Christiana dicitur ἄσκησις: ut cum ait *Clemens Alexandrin. pag.* 207. *Strom. lib.* IV. ἡ κυριακὴ ἄσκησις ἀπάγει τὴν ψυχὴν τοῦ σώματος εὐχαρίστως. i. e. *Dominica exercitatio id est religio, quam docuit Dominus, abducit animum à corpore cum gratiarum actione.* In Apostolicis Canonibus LI. & LII. abstinentia à carnibus & vino certis diebus priscæ Ecclesiæ usurpata, fieri dicitur διὰ ἄσκησιν *propter exercitium pietatis*; quia eo pacto affligitur caro, & seriæ meditationi mysteriorum salutis præparatur. Quicunque igitur eo animo abstinent vino & esu carnium ii & ἀσκεῖν & ἀσκηταὶ εἶναι tantisper dici possunt. *Monachos* & *Moniales* eosdem dicere, ridiculum fuerit.

rit. Quod confirmat illustr. Scaliger l. V. de Emend. Tempor. ubi de Persarum Regibus loquitur: Hodie vocamus reges illos *Sofi* quod صوفي Arabice significat puræ religionis hominem & in melius reformatum. Pii Patres verbum ἀσκεῖν à ludis veterum ad res Sacras transtulerunt, Paulum imitati, qui petitis inde locutionibus mire delectatur 1. Cor. IX. 24. Patres hic verbum ἀσκεῖν, quo proprie significatur præparare se ad certamen & continentiam in eum finem exercere, ad Christianos transtulerunt, & ipsam religionem ἄσκησιν dixerunt, quasi regulam exercentium & continentium, in qua jugiter se exercere Christiani deberent; atque inde dicti *Ascetæ* & *Ascetriæ* qui mundo renunciarunt, & vitæ austerioris propositum suscipiunt. Nam cum peculiariter de Monachis & Monialibus hæc usurpatur; hinc generaliter omnibu tribuitur, qui in studio pietatis præ cæteris se exercuissent. Omnis igitur Monachus est Asceta, at non omnis Asceta est Monachus, uti putavit Cyrilli Interpres, qui Baronium decepit. Ut autem B. Lectores judicent quid statuendum de voce hac, non gravabimur quæ ipsi Arabes de hac appellatione tradant pluribus apponere. Nomen صوف *Suftana* & hinc الصوفي *Al-Sufi*, qui vestibus laneis induti sunt, uti Monachi: Alii tamen à صفة *Soffach* porticu quadam juxta templum Medinæ a Muhammede constructa volunt, ubi pauperes aliquot ex ipsius assectis, quibus ædes propriæ non essent, *abdicata* rerum mundanarum cura diversari solerent. Alii ab الصفا *Alsafa*, quod puritatem & sinceritatem denotat, deducunt: Alii à صف *Saff*, quod ordinem sive classem, quasi eos dicas qui in primo sunt ordine re-

spe-

ſpectu Dei, cujus cultui ſe totos dedunt. Quæ omnia cum Chriſtianis bene conveniunt.

(*m*) *Hic temporum putatæ rationes*] Erat enim Alexandrinorum propria hæc gloria & famæ celebritas, quod ſiderum motum præ aliis populis cognitum habuerint, conſervatis in Ægypto ac ipſis Patriarcharum ſideralis ſententiæ reliquiis. Vid. diſſ. D. Ægid. Strauch. de comput. Julio Conſtant. edit. Witteb. 1662. §. 9.

(*n*) *Solennitatis Paſchalis*] Scaliger de Emendat. Tempor. libr. de Cyclo Paſchali Alexandrinorum merito ſcribit: Primi omnium Alexandrini, & cyclum decem novennalem inſtituerunt, & Epactas docuerunt, quæ in primo aut ſecundo menſe h. e. in *Thot* & *Paophi* novilunium indicarent. Ipſe Leo Magnus Papa fatetur peritiam Sacrorum temporum Alexandrino Epiſcopo deberi. Sic enim ad Martianum Imperatorem ſcribit cap. LXIV. Studuerunt ergo Sancti Patres occaſionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Epiſcopo delegantes; quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita eſſe videbatur peritia, per quam, quando ſinguli dies prædictæ ſolennitatis evenirent, Sedi Apoſtolicæ indicaretur, ut hujus Scriptis ad longinquiores Eccleſias judicium generaliter percurreret. Quis autem & quando invenerit, *Scaliger* dicere non potuit, tantum Originem Epactarum temporibus *Diocletiani* antiquiorem non eſſe cenſet. In quo fallitur; nam centum fere annis citius tempore Imperatoris *Severi* cyclus ille à *Demetrio Alexandrino* repertus fuit, communicato cum aliis primæ dignitatis Epiſcopis conſilio. Arabes & Æthiopes, qui hiſtoriam Patriarcharum Alexandrinorum poſteris tradiderunt, peculiariter *Abulbaracatus* rem nobis claram

fa-

faciunt. *Eutychius Alexandrin. Tom. I. Annal. Alexandrin. pag. m.* 365. de eo tradit sequentia, ex Arabico in Latina versa. *In illo tempore scripsit Demetrius Patriarcha Alexandrinus ad Gabium Episcopum Hierosolymit. ad Maximum Patriarcham Antiochenum, & ad Victorem Patriarcham Romanum, de ratione computi Paschalis & jejunii Christianorum, & quomodo à Paschate Judæorum deducatur, de qua re multos exararunt libellos & epistolas, donec eo, qui jam observatur modo, Christianorum Pascha constituerent.* conf. B. *Job. Ludolf. annot. ad histor. Æthiop. fol. m.* 438.

(*o*) *Encyclicas literas*] Quid apud Scriptores Ecclesiasticos sint ἐγκύκλιαι ἐπιστολαὶ merito inquirendum. Etymologicum M. inter alia ἐγκύκλιον interpretatur, quod ubique est commune seu universale. Alii aliter explicant. Verisimile autem videtur cum viris doctis statuere, Encyclicas literas esse epistolas seu literas publicas ad omnes fideles pertinentes, quod constat tum ex Conciliis, tum ex aliis Patrum Scriptis. Nam moris erat, ut Ecclesiæ patres Acta & Decreta Conciliorum passim ad omnes Dei Ecclesias mitterent per epistolas, quas non uni privatim dicarint, sed publice describi & ab omnibus legi voluerint. Hæ igitur epistolæ ἐγκύκλιοι vocatæ sunt, quia κυκλόθεν, quoquo versum, & in omnem partem mittebantur. Possunt etiam dici *formales* & *publicæ*. Unde non dubitamus, quin *Suetonius* in *Domitiano cap.* XIII. *formalem* appellet *epistolam*, quam Græci ἐγκύκλιον vocant. Verba *Suetonii* de *Domitiano* hæc sunt: *Pari arrogantia, cum Procuratorum suorum nomine formalem dictitaret, sic cœpit. Dominus & Deus noster sic fieri iubet. Unde institutum posthac, ut ne scripto*

Encyclicæ Literæ.

ſcripto quidem ac ſermone cujusquam appellaretur aliter. Manifeſtum autem eſt hanc epiſtolam ad omnes fuiſſe miſſam. Harum epiſtolarum ſæpe fit mentio apud Scriptores Eccleſiaſticos. Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. VI. c. XVIII. pag. 63. Nicephor. Calliſt. hiſt. lib. V. cap. 12. lib. XVI. c. 3. & alios. Ita & hoc loco præfationis Autor per *encyclicas* epiſtolas formales vel publicas intelligit ad alias Eccleſias miſſas.

Perſecutio Chriſtianorum ſub Diocletiano.

(*p*) *Sub Diocletiano*] Ex *Eutychii* Annalibus Alexand. pag. 352. patet, quam immania Ægyptii ab *Hadriano* Imper. Chriſtianos ad Idolorum cultum adigente, paſſi fuerint, quomodo hic multos etiam è Chriſtianis morte affecerit; ſuperfundendo aquam ollæ aheneæ incluſis, ignemque deinde ſupponendo, donec coquerentur. Idem pag. 372. de Septimio Severo hæc fere habet: Fuit Imperator iſte vir nequam, magnarum Chriſtianis calamitatum, multorumque cruciatuum author, cujus tempore martyrium ubique ſubierunt Chriſtiani quam plurimi. Tum & Ægyptum profectus, omnes qui ibi & Alexandriæ eſſent, Chriſtianos interemit, & Eccleſias diruit, extructo Alexandriæ templo, quod Deorum templum vocatum eſt. Hic ita ſævit in fideles Ægyptios, ut incredibilis fuerit occiſus & Alexandrinorum & Thebæorum numerus. Euſebio initio libri H. E. quoque teſte: Severo Imper. Eccleſias perſequente, ubique quidem eorum, qui pro pietate decertabant, illuſtria edebantur Martyria, maxime vero abundabant Alexandriæ, quo ex *Ægypto* ac tota *Thebaide* athletæ ſelecti velut in maximum quoddam Dei ſtadium adducebantur &c. Maxima autem omnium fuit perſecutio *Diocletiana* in Chriſtianos Ægyptios ſuſcepta. Infenſiſſimus ille hoſtis nulla edicta publicari

cu-

curavit, ut templis Christianorum deturbatis sacrisque codicibus crematis, ipsi fideles exstirparentur. De illis Edictis hæc à Chronico Alexandrino excerpsit *Athanas. in Prodr. Copto* c. II. pag. 20. Anno Diocletiani XIX. die XXV. Martii ipso die Paschatis ubique tum maxime in Ægypto & Thebaide Imperatorum edicta sunt proposita, quibus jubebantur Christianorum templa à fundamentis everti, sacrorum voluminum paginæ deleri. Hoc primum edictum, cui statim alterum subjungebatur, ut Ecclesiarum Antistites omnesque Christiani vinculis mandarentur, denique omni suppliciorum genere ad Sacrificia cogerentur. Quo factum est, ut ab eo tempore multi pro Christo occumberent. confer. Euseb. hist. Eccles. lib. VIII. c. 3. lib. VIII. c. 6. Lact. lib. V. Instit. Div. c. 2.

(q) *Æra Martyrum*] Lubet hic subjungere de *Æra* quam *Coptitæ* peculiarem quasi habent. Quod vero nomen AERAE attinet, juxta Sepulvedam Cordub. de Em. ann. & Matth. Beroaldum notum est, illud ex pluribus vocibus compositum ab Hispanis prodiisse. Hi enim rerum gestarum annos ab Augusto, optimo tum ipsorum Imperatore numerabant hoc modo: ANNVS ERAT AVGVSTI trigesimus, quadragesimus &c. Postmodum per compendium ponebant principia duntaxat verborum, sejuncta sic punctis: A. E. R. A. XXX. Tandem vero omissis punctis literæ illæ initiales (sive librariorum sive tabellariorum temeritate) in unum quasi coaluerunt nomen, ita ut confuse scribatur ÆRA per diphtongum. Etsi autem hic *æræ Cæsareanæ* computus in Hispania cessarit ab anno Christi 1372. ubi lege Johannis Regis cautum est, ut non amplius à Cæsare, sed à Christi Servatoris Æra Martyrum.

noſtri nativitate anni repeterentur; Vox ÆRÆ tamen manſit & proceſſit, tum ad Mathematicos, tum etiam ad Eccleſiaſticos Scriptores. Sic quoque apud COPTITAS vocabulum ÆRÆ idem eſt ac EPOCHA, ſeu illuſtre temporis notandi initium. Dicitur autem ÆRA hæc *Diocletiani*; item ÆRA MARTYRUM & GRATIÆ. confer. Chronolog. Helvic. in proleg. & Alſted. pag. m. 34. è *Scaligero* aliisque. *Æra Diocletiani* nomen eſt ſortita à Romanorum Principe Diocletiano, ejus autore, qui ad imperium perveniens anno Chriſti 284. juſſit, ut præter cæteros ſubditos etiam Ægyptii annos numerarent ab initio Imperii ſui, ſublata priori epocha. Poſtea vero cum Tyrannus ille formidanda perſecutione innumeros Chriſtianos, inprimis eos, qui in regione Thebaidos ad loca Copto vicina confugerant, ad ſacrificia cogeret; noluerunt poſteri profanum odioſi hujus Imperatoris nomen in computo retinere, ſed mutarunt illud in ÆRAM MARTYRUM glorioſorum, qui tum fortiter omnia tolerando vitam tandem finierant. Deprehenditur autem apud Scriptores diſcrepantia non levis de tempore, in quem nimirum Imperii Diocletiani annum incidat initium *æræ Copticæ*. Nonnulli cæpiſſe putant anno Imperii *Diocletiani decimo nono*, in quo is auxit perſecutionem contra Chriſtianos. Ita cl. *Joh. Hoornbek. in Summ. controv. religion. pag. m. 959. edit. Colberg.* quando in hæc erumpit verba: *Eadem utuntur æra* Copti *&* Æthiopes, *quam appellant ÆRAM MARTYRUM ab anno* XIX. Diocletiani *Chriſti* CCCII. *quo gravis adeo in* Chriſtianos *&* Æthiopes *aliosque viguit perſecutio*, *ut* Coptorum *centum quadraginta quatuor millia trucidata*, *ſeptingenta in exilium acta dicantur*. Quos etiam in-

inter, citante *Kirchero* in Prodr. c. II. 25. est *Ignatius* quidam *Patriarcha* Antiochenus, in Epistola ad illustrem Scaligerum exarata, quæ & apud eundem lib. V. pag. 245. de Emendat. Tempor. ita legitur. *Rursus quæsivistis super Æra Martyrum, usitata à Coptitis, quænam illa & ob quam causam ita appellata sit. Scito ejus initium esse ab anno Regis Diocletiani impii decimo nono; in quo auxit persecutionem contra Christianos, cum edixisset eorum Ecclesias destruendas, item ut quicunque idolis non sacrificaret, interficeretur.* Quo circa hoc edicto martyrio coronati sunt fidelium terræ Ægyptiæ seu Coptæ centum quadraginta quatuor millia, septingenta autem in exilium acta. Ab eo tempore incipit Æra Copti, quam vocant Æram Martyrum (EL-KUPTI), eorum nempe, quorum Sanguinem fudit *Diocletianus*. Alii vero statuunt, quod ÆRA COPTITARVM non consurgat ex XIX. anno *Diocletiani* (qui primus erat persecutionis) sed ex primo; innuit hoc *Alstedius* in *Chronol.* p. 34. quando dicit, *Æram Diocletiani esse eandem cum Æra Martyrum seu Coptica.* Optime *Scaliger* addit l. c. Quamvis verum est, multa millia Christianorum sub illo sævissimo Principe morti dedita ob Christianismi professionem, tamen primus annus Diocletiani est initium Æræ Ægyptiorum, non autem XIX. Ratio plana est. Non solum enim Ægyptii, sed & Romani annis Diocletiani utebantur, quos extinxit indictionum Epocha. At apud Ægyptios ea *Æra* mansit. Et sane vix probabile est, quod Romani Æram Diocletianam orsi fuerint à persecutione & laniena Martyrum Coptorum, quæ facta est XIX. anno regiminis h. e. duobus saltem annis, antequam purpuram deponeret Imperator. Potius inde col-

colligimus, *Coptitas* usitatam Epocham retinuisse eandem cum Romanis & Ægyptiis aliis, ita ut mutato saltim nomine dixerint Æram Copticam seu Martyrum. Vid. *Athanas. Kircher. in fine Prodr. de Computo Coptic. Scaliger l. c. Petav. Item Ægidii Strauch. Breviar. Chronol. lib.* IV. *cap.* 43. *q.* 2. *pag. m.* 1115.

Arius. (*r*) *Arium*] Erat autem *Arius* natione Afer, professione Presbyter Alexandrinus. *Photius epist.* I. *pag.* 4. de eo: ἦν δ' οὗτος ὁ δείλαιος ἕλκων μὲν τὸ γένος ἐκ τῆς Ἀλεξάνδρου, εἰς κλῆρον δὲ καταλεγεὶς τῆς ἐκεῖσε ἐκκλησίας, καὶ εἰς Πρεσβυτέρου βαθμὸν ἀνελθὼν κλ. *Erat autem miser ille ex Alexandria oriundus: in clerum autem illius Ecclesiæ cooptatus, cum ad Presbyteri gradum adscendisset &c.* Theodoretus Histor. Eccles. lib. I. c. I. Κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἄρειος, τῷ μὲν καταλόγῳ τῶν πρεσβυτέρων ἐντεταγμένος, τὴν δὲ τῶν θείων γραφῶν πεπιστευμένος ἐξήγησιν κλ. *Per id tempus nempe cum Alexander Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus esset, Arius, qui in numerum Presbyterorum fuerat adscriptus, sacrarum literarum interpretationi præpositus &c. Arius* Græc. Ἄρειος sonat *Martialem* vid. *Nicol. Lloyd. Dictionar. Geograph. pag. m.* 169. *edit. Genev.* quod lites & bellum moverit in Ecclesia. Alii autem nomen deducunt à fluvio prope Alexandriam, uti *Thomas de S. Quercu* qui ita: *Arius a river of thatname running by Alexandria.*

Fœdissima ejus Hæresis. (*s*) *Fœdissimam hæreseos lernam*] Quantum molestiæ Arianorum clancularie irruptiones tum Alexandrinis, tum aliarum etiam Provinciarum Orthodoxis crearint, passim testantur historiæ Ecclesiasticæ Scriptores. Imprimis vero succincte ex historia Ecclesiastica tripart. & aliunde hanc rem complectitur *Matth. Dresserus in Isagog. histor. millen. S. cap.* 3. *de persecut. pag.* 210.

quan-

quando ait: *Multo crudelior atque nocentior hæreticorum rabies, quam externorum hostium violentia.* Vix ulla hæresium omnium plus detrimenti attulit, quam Ariana, quæ ipsos Imperatores Christianos in Christianam Ecclesiam tanquam in viscera sua sævire & tot vastitates efficere coëgit. Vere hæc pestis Ecclesiæ fuit, quæ primum Constantium, Constantini M. filium labe sua infecit, in fraudemque impulit, ut orthodoxos Episcopos in exilium projiceret, & omni Supplicii genere Professores veræ religionis Alexandriæ & passim per Ægyptum & Libyam affici pateretur. Incepit hæc hæresis anno Imperii Constantini XV. circa annum Christi circiter 321. quando Arius Alexandrinus Presbyter, præsidente tum Alexandriæ Patriarcha sive Episcopo Alexandro (qui in ordine XIX. habetur) impia adversus Christi divinitatem dogmata ubique sparsit. Occasionem dicitur inde sumsisse, quod Alexandro damnatam Sabellii opinionem innocenti affingere voluerit. Duos hos, & *Arium* & *Alexandrum*, optime describit Ruffinus Presbyter Aquileiensis c. I. histor. Ecclef. qui conjunctus est Eusebii Historiæ & sic incipit; *Cum apud Alexandriam post Achillam, qui Petro Martyri successerat, Alexander Sacerdotium suscepisset, quia pax nostris & quies à persecutionibus erat atque Ecclesiarum gloria confessorum meritis gaudebat, prosperitas rerum nostrarum domestica contentione turbatur. Etenim Presbyter quidam apud Alexandriam, Arius nomine, vir specie & forma magis, quam virtute religiosus, sed gloria laudisque & novitatis improbe cupidus, prava quædam de fide Christi proferre, & quæ antea in quæstionem nunquam venerant, cœpit: abscindere enim ac separare ab illa æterna & ineffabili Dei Patris substantia vel na-*

tura filium conabatur. Quæ res plurimos in Ecclesia conturbabat. Sed cum Alexander Episcopus natura lenis & quietus, assiduis commonitionibus Arium cuperet à pravo incæpto & assertionibus impiis revocare, nec tamen procederet, aliis indicat. Conferatur Barthol. Caranza Monachus Dominicanus in Summa Concilior. pag. m. 61. de origin. Concil. Nicæni in 820. &c. Causa vero, quæ exstimulavit Arium, ut novum hoc & impium dogma proferret, fuit partim *æmulatio* honorum Alexandri Episcopi, partim etiam *ambitio* ac gloriæ cupiditas. Cum enim *Alexandrum*, quo se non putabat esse inferiorem doctrina, in contentione honoris sibi anteferri videret, vindictæ ardore impulsus, quæstiones inusitatas & perniciosas protulit, quibus crescere ac volitare per ora virorum volebat. *Dresser. l. c. pag. 222. de hæret. Ar.* Hoc clare ostendit *Theodoretus Episcop. Cyrens. c. 2. l. 1. hist. Eccl.* his verbis: Arius qui erat in cœtu & ordine Presbyterorum, habebatque authoritatem interpretandi divinas Scripturas, cum videret, gubernaculum Sacerdotii commissum esse Alexandro, impatiens invidiæ, qua exagitabatur, stimulorum, quærere cæpit discordiæ & pugnarum occasionem. Et quamvis omnium calumniarum telam perrumperet viri dignitas & laudabilis administratio, tamen quiescere eum invidia non sinebat. Hunc igitur nactus hostis veritatis Ecclesia undas per ipsum movit & concitavit, impulitque, ut palam Apostolicæ Alexandri doctrinæ refragari auderet. Ast *Alexander* Episcop. videns *Arii* pertinaciam, convocato centum Episcoporum Concilio illum Presbyterii gradu abdicavit, & una cum aliis ejus opinionis assertoribus excommunicavit, factique hujus rationem prolixa epistola cæteris Ecclesiis exposuit,

ex

ex qua nonnulla excerpsit D. *Salomon Gesnerus l.* II. *de conciliis pag.* 115. Quomodo vero *Arius* plures, summates etiam viros, *Achillam*, *Euzolum*, *Lucium*, *Menam*, *Cajum* aliosque Ecclesiæ quoque Præsules, cum primis *Eusebium Nicomediæ* Episcopum ac *Theognidem* in suas pertraxerit partes, commemorant *Magdeb. Cent.* IV. *c.* 5. & *Gesner. l. c. pag.* 118., ubi & subjungit hic de *Constantino* Imperatore, qua pietate & cura utramque partem per *Hosium Episc. Hisp.* ad concordiam sed frustra hortatus fuerit. *Eutychius Patriarcha Alexandrin. in Annal. Alex. pag.* 436. memorat, quod *Arius* cum *Euseb. Nicom.* & *Euseb. Philæ* Episc. accusaverit *Alexandrium* etiam Episc. injuriæ, quo accersita habuerint coram Imperatore *Constantino* colloquium. Non igitur ingratum fore Lectoribus speramus, si ex *Eutychio* (qui non in omnium manibus) compendiose hic retulerimus disputationem istam. Jussu igitur *Constantini Arius* incipit sententiam suam explicare dicendo (1) Patrem (deum scil.) fuisse, cum non esset Filius. Tum (2) ipsum de novo produxisse Filium ipsi Verbum. Dein (3) tradidisse Patrem filio imperium, ut sit creator omnium juxt. S. Script. Denique (4) Verbum illud postea ex Maria Virgine corpus assumpsisse, & è S. Sancto; factumque esse illud Christum unum. Christus ergo, conclusit, duos comprehendit significatus, verbum & corpus, quæ tamen utraque creata sunt. Sed quid ad illa Alexander Episcopus? Respondens illi, Dic mihi, inquit, quem putas teneri nos potius colere, illumne, qui nos creavit, an qui nos non creavit? Respondente Ario illum, qui nos creavit; dixit Alexander; si ergo nos creavit Filius, uti dixisti, estque idem creatus, tum filium qui creatus est,

magis colere tenemur, quam patrem increatum; imo futurus est cultus patris creatoris infidelitas, cultus vero filii creati fides, quod absurdissimum. Hoc audito, Imperator consentientibus aliis rejecit Arium, jussitque ut Alexander malediceret *Ario* ejusque sequacibus. Verum convocato Concilio unanimi consensu & decreto damnatus. Interim tamen hæresis hæc non sopita, sed longe lateque diffudit se, ita ut *Alexandriæ* & per totam *Ægyptum* Apostolica doctrina periculis exposita fuerit. *Eutychius* enim in *Annal. Alexandrin. pag.* 476. affirmat, *Arii* sententiam non tantum Alexandriæ, sed & *Constantinopoli* & *Antiochiæ* prævaluisse. Quam horrendum hæreseos illius virus fuerit, quam late se extenderit, nervose ex veteribus exprimit *Dresser. in Isag. mill.* 5. *pag.* 222. his verbis: *Pervagata est* (*Ariana hæresis*) *totum fere Orientem & Occidentem. Imo Germaniæ etiam Ecclesias attigit atque labefecit, ut velut diluvium aliquod redundasse Ecclesiam Christi videatur* &c. E quibus miserabilis Ecclesiæ Copticæ sive Christiano-Ægyptiacæ status conjici poterit. Plura qui legere de Ario ejusque doctrina desiderat, adeat *Socrat. hist. Eccles. lib.* I. *c.* 5. *Theodoret. hæret. fab. lib.* II. *c.* 9. *Nicephor. Callist. hist. Eccles. lib.* VIII. *Gesner. de Concil. pag.* 116.

Synodus Nicæna. (*t*) *Nicænam Synodum*] Hæc Synodus nomen ab urbe, ubi habita, traxit, quæ *Nicæa* dicta. Fuit hæc urbs, ut ait *Thomas de S. Quercu*, *a City of Bithynia, it is the place where the Concil war hold against Arius anno* Christi CCCXX. *where the Nicene Creed was made*, ab antiq. dict. *Antigonia* & *Ancore* hodie *Nicor* & *Isnich*. conf. *Nicol. Lloyd Dictionar. Geograph. pag.* 676. *edit. Genev.* Hic post annum & duos menses conve-

nerunt

nerunt bis mille quadraginta octo Episcopi inter se sententiis & religionibus discrepantes. vid. Eutych. Annal. Alexand. qui quoque refert, *Constantinum* ex illis Episcopos CCCXVIII. veram profitentes religionem elegisse Conciliumque cum iis laudabiliter instituisse. De hoc numero convenit communis Scriptorum sententia. Leg. *Caranz. de Concil. pag.* 61. & vitium videtur typographicum, quando *Dresser pag.* 241. *de Concil.* posuit CVIII. Pluribus autem illum numerum probat *D. Gesner. lib.* II. *de Concil. pag.* 122. *& seqq.*

(*u*) *Seculo quarto*] Circa tempus variant Autores. Natales pestilentissimæ Hæresis refert *Palmer. Chron.* in annum CCCCXLIX. Hermann. Contract. ad annum CCCCXLVIII. Sixt. Senens. Bibl. S. l. IV. pag. 286. b. ad annum CCCCLIII. Bucholtzer. Indic. Chronolog. & Alsted. Thesaur. Chronolog. pag. 316. ad annum CCCCL. T. II. Concil. pag. 11. Æram ponit CCCCLXXXVIII. Baron. & ex eo Spondan. Annal. ad ann. CCCXLVIII. n. 2. Bellarmin. Chronolog. part. 2. pag. 55. ad annum fere CCCCL. Helvicus ad annum CCCCXLVIII.

(*w*) *Eutyches*] Magna hic diversitas circa appellationes, Scriptiones. Et quidem occurrunt aliqui, qui *Eutychii* vocabantur. (1) *Eutychius* erat Patriarcha Constantinopolitanus successor *Mannæ* Patriarchæ, qui præerat V. Concil. vid. *T.* 2. *Concil. Zonar. Annal. T.* 3. *pag.* 130. (2) Eutychius Alexandrinus Patriarcha, cui à natalibus erat nomen سعيد *Said* cum adjectione Patronymica ابن بطريق *Ibn-Batrik*, i. e. *Saidus filius Batrici seu Patricii aut Batricides.* Cum autem Patriarcha factus, maluit sibi no- Eutyches.

men افثيبسيوس quod & exaratur ſubinde اوتيشيوس & اوثوشيوس pro eo, quod è Græco eſt *Eutyches* & *Eutychius* conf. Angl. *Johann. Seldeni præfat. in Orig. Ecclef. Alexand. edit. Londin.* 1642. (3) Fuit Epiſcopus Gallus hoc nomine, ut apparet ex Ravenni epiſt. & aliorum Gallorum Epiſcoporum, quæ habetur ante L. epiſt. *Leonis pag.* 354. *b.* (4) Fuit & Eutychius Præceptor in Grammaticis Imperatoris M. *Aurelii Antonini Pii*, ante Annii Veri dicti, ejus meminit Aventinus Annal. Bojor. l. II. in M. Antonino pag. 86. (5) Erat & *Eutychius* ſub-Diaconus apud Athanaſium Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes pag. 462. vir probe Eccleſiæ ſerviens, quem primum Ariani ſcuticis ad mortem curarunt verberari, deinde, ita moribundum in metallum mitti, & quidem in tale metallum, quod *Phaeno* appellabatur, in quod condemnatus non niſi ad pauciſſimos dies ſupereſſe poterat. (6) *Eutychius* Epiſcopus Adrianopolitanus. *T.* 2. *Concil. Act.* I. *Chalced. pag.* 40. *a.* Erant porro etiam *Etycii.* Mentio reperitur apud Scriptores hujus, qui urbis Conſtantinopol. erat Epiſcopus. vid. *Theodoret. lib.* I. *hæreſ. fabul.* apud *Cramer. Hæreſiolog. claſſ.* IV. *p.* 187. Eutychion quidam Eunomici Veteratoris ſectator fuit. *Sozom. lib.* VI. *hiſt. Ecclef. c.* 26. *pag.* 658. *Eutyches* duos tantum commemoramus (1) erat ſemi-*Arrianus* notarius *Baſilii Ancyrani. Epiphan. hæreſ.* 71. *l.* III. *T.* 1. *pag.* 197. *Centur. Magd. c.* V. *p.* 363. (2) Eutyches Archimandrita Conſtantinopolit. fax & tuba multorum malorum, de quo h. l. conf. *Nicol. LLoyd. Dictionar. Geograph. pag. m.* 438. *Suicer. theſaur. fol. m.* 268.

(*x*) *Archimandrita*] Cum non omnibus conſtet,

ſtet, quid Archimandrita ſignificet; operæ pretium eſſe duximus, uberius rem explicare. Quidam dicunt, quod *Archimandrita* ſit agminis ſive gregis Princeps. Μάνδρα enim apud Græcos ſpelunca ſeu cubile eſt. vid. *Scapul.* Al. Juſtin. l. I, Cod. pro Pontifice accipit: *Reverendiſſimi*, inquit, *Archimandritæ* &c. Idem Coll. l. de Monach. *Deo*, ait, *amabiles Epiſcopi & Archimandritæ* &c. utrobique pro paſtore. Sunt itaque Archimandritæ preſſo nomine, ABBATES, qui metu Tyrannorum in eremum, ſylvas & ſpeluncas ſecedentibus Chriſtianis præfuerunt, & Archimandritæ dicti ſunt vid. *Barnab. Briſſon. l.* I, *de verbor. ſignificat. Spiegel. Lexic. Juridic. Genev.* 1595. *Tholoſan. Syntagm. Jur. Univerſ. l.* V. *c.* 13. *pag.* 271. *Luther. Tom.* VII. *Jen. Germ.* von *Conciliis pag.* 258. *a.* Ita etiam Archimandrita Monaſterii ABBATEM notat, nam Μάνδρα eſt Monaſterium. *Theodorus Anagnoſta Ecloga.* I. Δανιὴλ ὁ θαυμάσιος, ἐκ τῆς Συμεῶνος μάνδρας ἐλθὼν: *Divinus ſeu admirabilis Daniel veniens ex Mandra Symeonis.* Metaphraſtes in Theodoſio Cænobiarcha. *Et jam magnus quidam erat numerus diſcipulorum, ſpelunca autem exigua & plane minor, quam ut poſſet eos capere: ipſi autem accedentes ſollicitabant, ut excitaret monaſterium, & ampliorem ejus faceret mandram ovium ſpiritualium.* Hic *Mandra* ſumitur pro tota Monaſterii capacitate. Adhelmus de Virginitate cap. XVII. dixit de Babyla Epiſcopo: *Mandras Eccleſiæ adverſus truculentam Tyrannorum rabiem ſolertia paſtorali tuebatur.* Alias *Mandra* eſt ovium, boum, aliarumque pecudum receptaculum & clauſtrum, *Martial. lib.* I.

Archimandrita ejusque Munus.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

Juvenal.

—— —— *ſtantis convicia mandræ.*

Gloſ-

Gloſſar. *Mandra hic ſeptus. Heſychius:* Μάνδρα, ἕρκη φραγμοὶ, σηκοὶ βοῶν καὶ ἵππων, *Mandræ, ſepta, ſepimenta ſtabula boum & equorum.* Hinc ἀρχιμανδρίτης eſt ἄρχων τῆς μάνδρας *Præfectus Cænobii.* conf. *Juſtin. Novell.* V. & *Suicer. theſaur. Eccleſ. part.* I. *fol. m.* 535.

Turbæ Eutychianæ in Eccleſia.

(y) *Novas res moverat*] Novas turbas movet Diabolus in Eccleſia Alexandrina per *Eutychen.* Ut autem originem harum novarum rerum cognoſcamus; audiamus *B. Chemnitium cap.* VIII. *de duabus naturis in Chriſto pag. m.* 106. 4. qui ita: *Repreſſo pauliſper Neſtoriano certamine, mox aliæ motæ ſunt contentiones. Eutyches enim volens unitatem perſonæ contra Neſtorianos ſingulari vehementia defendere incidit in contrarium errorem, more illorum inſitorum, qui dum incurvum tenellæ arboris ſtatum corrigere ſtudent, nimis deflectendo in alteram partem peccant, ſicut Baſilius finxit. Finxit enim in Chriſto ante Unionem quidem fuiſſe duas naturas, ſed poſt unionem, ut perſonæ unitas ſervetur, tantum unam credendam eſſe naturam, & Juſtinus in expoſitione fidei & Athanaſ. in epiſt. ad Epictetum ſcribunt, etiam ſuis temporibus ante Eutychen fuiſſe qui finxerint: Quod vel verbum mutatum ſit in carnem & humana natura converſa vel abſorpta ſit in divinam; vel ex confuſione verbi & carnis concreta & compacta ſit tertia quædam natura, ut ita omnia quæ Chriſtus egit, ſicut uni perſonæ, ita etiam uni naturæ tribuantur.* Hæc B. Chemnitius, cui adſtipulantur hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores tam Orientales, quam Occidentales, *Evagrius lib.* I. *c.* 9. *Nicephor. lib.* XVIII. *c.* 52. Eutychius in Annal. Alexandr. Tom. II. p. 85. ان جسد المسيح ليس مع اجسادنا في الطبيعة وان المسيح قبل التجسد

التجسد من طبيعتين وبعد
التجسد طبيعة واحدة ❁ i e.
Quod corpus Christi non ejusdem sit cum corporibus nostris naturæ: & quod Christus ante *incarnationem* (constiterit) *ex duabus naturis. post incarnationem vero ex natura unica.* Idem repetit pag. 87. Et Josephus Ægyptius præfatione ad Concil. Chalcedonense allegante Guil. Beveregio Annot. in Can. dicti Concilii. كان يقول من
طبيعتين قبل التجسد ثم صار
طبيعة واحدة بعد التجسد
Dicebat: (Eutyches) *E duabus naturis ante incarnationem, deinde facta est una natura post incarnationem.* Atque hanc ipsissimam fuisse Eutychetis opinionem putat *Guil. Beveregius* d. l. pag. 108. Et sic alii Autores, quotquot de Concilio Chalcedonensi & Eutychetis hæresi agunt ad unum omnes. Addunt alii; illum naturam utramque confudisse atque commiscuisse, sicut miscetur vinum & aqua: Alii quod humana natura à divina quasi absorpta fuerit, veluti si guttulam vini immensum mare distillares. Verum quam dubia hæc sint multis & firmis argumentis fuse demonstrat. B. *Jobus Ludolf. in annot. ad hist. Æthiopic. fol. m.* 455, 456, 457. *seq.*

(z) *Coacto Damnatus*] Cum diu disputatio inter Episcopos & Eutychetem habita fuerit, ad postremum Eutychen dixisse ferunt: *Qui non dicit, ex duabus naturis & duas naturas, non credit recte.* Nihilominus tamen Sancta Synodus exurgens dixit. *Quæ ex necessitate est, fides non est.* Posthac secuta est sententia: *Lacrymantes & gementes perfectam ejus perditionem decernimus per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphe-*

Damnatio Eutychetis.

phematum, extraneum eum esse ab omni officio Sacerdotali & à nostra communione & primatu Monasterii, scientibus hoc omnibus, qui postea colloquentur ei, & ad eum convenerint, quoniam rei erunt & ipsi pœnæ excommunicationis, sicut qui non declinaverunt confabulationes ejus. Subscripsit tota Synodus. *V. T.* 2. *Concil. Act.* 1. *p.* 53, 65. *Centur. V. Magd.*

Dioscorus Alexandrinus. (*aa*) *Ad Dioscorum Alexandrinum*] Confugit Damnatus ad Dioscorum. Cum autem plures fuerint hujus nominis, itaque recensebimus illos: (1) Tempore *Decii* vel præter propter celebris *Dioscorus* puer XV. annorum, qui nullis minis vel tormentis à Christiana religione abduci poterat; ejus meminerunt *Euseb. lib.* VI. *Histor. Eccles. cap.* XLI. *pag.* 102. *Nicephorus lib.* V. *Histor. Eccles. cap.* 31. *pag.* 256. (2) Dioscorus Diaconus legatus Hormisdæ adjunctis sibi *Germano* & *Johanne* Episcopis, *Felice Diacono*, tempore *Justini* senioris Imperatoris. Hi *Constantinopoli* convenientes, de uno de Trinitate crucifixo differebant *T.* II. *Concil. in Decret. Hormidæ Papæ pag.* 362. (3) *Dioscorus Archimandrita S. Euphemiæ* tempore *Agapeti Papæ Tom.* II. *Concil. Act.* 1. *Synod.* V. *Constantinop.* in qua quædam *Hierosolymit. Synod.* recitatur *pag.* 466. *Act.* 1. *Synod.* V. *Constant.* à *Mena* Patriarcha *Constantinop. pag.* 478. (4) *Dioscori Architheatri* meminit S. *Augustinus epist.* 67. qui, cum Christianorum rebus esse soleret infensus, effectus & ipse licet frustra renitens Christianus. (5) Tempore *Valentiniani* junioris florebat quidam *Dioscorus*, Abbas *Ægyptiorum Monachorum*, cui C. erant sectatores, circa annum Christi 375. *Sozom. lib.* VI. *cap.* 28. *pag.* 660. *edit. Masc. Histor. Tripart. lib.* VIII. *c.* 1. *pag.* 132. (6) Tempore

Chry-

Chrysostomi clarebat *Dioscorus Hermopolis* Episcopus, unus ex IV. fratribus longis (qui fratres germani erant & cognomentum Longorum propter corporis proceritatem habebant) erant reliqui tres *Ammonius*, *Eusebius*, *Euthymius* hostes *Antropomorphitarum*. *Socrat. Histor. Eccles. lib.* VI. *cap.* 7. *pag.* 385. *Histor. Tripart. l.* X. *cap.* 7. *pag.* 167. *Nicephor. lib.* XIII. *cap.* II. *pag.* 810. *Cent.* V. *Magdeb. fol.* 1434. (7) *Dioscorus* Presbyter *Athanasii* ejectus & profligatus est *Alexandria* à *Georgio Arriano*. vid. *Athanas. Apolog.* 2. *Socrat. lib.* II. *cap.* 28. *pag.* 310. (8) *Dioscorus Alexandrinus Episcopus* Eutychiani erroris patronus, de quo Autor præfationis, quod *Eutyches* ad illum confugerit.

(*bb*) *Causæ patrocinium petiit*] Eutyches cum apud Imperatorem de actis Synodi confictis ac falsatis temerarie conquestus esset, à Dioscoro causæ suæ patrocinium petiit & invenit. Nam ei & causæ suæ favebat *Chrysaphius* peramantissimus Imperatori, *Dioscorus* Episcopus Alexandrinus successor *Cyrilli*, Aulici non pauci. vid. *Evagr. l.* I. *cap.* 10. *histor. Eccles.* imo Imperator ipse *Theodosius*, quem aliquo modo fraudibus, dolis & blanditiis ad suas partes pertraxerat. Agit autem per *Chrysaphium* & *Dioscorum*. Chrysaphius totus ira ardebat adversus *Flavianum*, caussam vide apud *Nicephor. lib.* XIV. *c.* 47. *Histor. Eccles.* Auxit odium comprobatio Actorum & Decretorum Synodi Constantinopolitanæ. *Chrysaphius* (verba *Nicephor. lib.* XIV. *c.* 47. recitamus) qui idem cum *Euthychete* sentiebat, cum contumeliam ferre nequiret, *Dioscoro Alexandrino* indicavit, se illi in rebus, quæ ei placitæ essent gratificaturum omnibus, si *Eutychetem* periclitantem defenderet; *Flavianum* autem Episcopum

Patrocinatur Eutycheti.

pum & *Eusebium Dorylæum* oppugnaret. Ipse etiam *Eutyches Dioscori Alexandrini* opem implorabat, cui author fuit, ut Synodum generalem ab Imperatore impetraret. Hi ambo *Theodosium* persuasionibus eo tandem adigunt, ut aliam Synodum meditaretur, in qua *Eutychetis* & *Flaviani* causa revidenda & reassumenda. Insuper etiam institerunt Dioscoro impio homini, summam rei, judicium & sententias ferendi Imperatorio mandato committendas esse, eundemque Synodo præficiendum, copias etiam militares sufficientes addendas, quæ secundum rem judicatam exequerentur, quod & factum. *Dioscorus* cognoscens Imperatoris literas ad manus esse., jubet eas prælegi. Prælegit eas *Johannes:* tenor extat *T.* II. *Concil. Act.* 1. *pag.* 22. &c. Mirus hic processus, mira facies hujus conciliabuli. Theodosius Imperator lege sanxit: *Qui antea judices religiosissimi Archimandritæ Eutychetis fuere, adsunto quidem & tacento: judicium autem & ordinem non habento, cæterum communem SS. Patrum sententiam expectanto, quandoquidem de rebus ab eis judicatis nunc judicium agitur.* Iisdem fere verbis *Evagr. l.* I. *c.* 10. *p.* 729. *Niceph. lib.* XIV. *c.* 47. Comparent Eusebius & Flavianus. Vicarii sive Legati assidere passi non sunt. *Liberat. cap.* XII. *Flavianus* petiit locum dari Eusebio accusatori, sed repulsus est, ea de causa, quod non esset petere aliquid Flaviani qui olim judex, hac autem in Synodo assisteret ut judicandus una cum eodem Eusebio. Eutyches jubetur fidei suæ libellum exhibere, Synodo prælegitur publice, habetur *T.* II. *Concil. p.* 24. *Act.* I. *Chalced.* Vid. & *Niceph. lib.* XIV. *c.* 47. H. E. Et licet bene exciperet Eusebius & alii Orthodoxi, subdole & truncatim Eutycheri Concilii Nicæni verba inseruisse

ruisse confessioni suæ; attamen nihil efficere potuerunt; sed Dioscorus stans in suppedaneo sedis suæ, dicebat: *Optima Eutychetis fides concordat fidei* CCCXVIII. *PP. Sanct. & recte credit Eutyches.* Nos omnes ejusdem opinionis sumus. Conclamatum igitur est, Synodus jussione *Dioscori* non auditum Eusebium damnat, Flavianus damnatur & Eusebius, Eutyches autem restituitur.

(*cc*) *Per Ægyptum sparsa*] Hæc Dioscori hæresis à Jacobo Syro Barradiensi per Ægyptum sparsa. Hunc omnium fere hæresium reum facit *Nicephorus*, quippe non tantum *Eutychetis* & *Dioscori*, (vid. *Eutych. in Annal. l.* II. *pag.* 147. & *D. Pappus in Epit. Histor. Eccles. Sect.* 6. *de hæres.*) sed & *Cnaphæi Petri* atque *Severi* dogma accepisse & apud Syros maxime divulgasse scribit. Vehementer hic error infecit *Ægyptum* & postea totam Syriam. Foverunt hunc fœtum subinde *Gajanus* vel *Gainus* unde *Gajanitæ*, *Johannes Philoponus* Philosophus Alexandrin. quem & hæreseos Tritheitarum ducem fuisse docet Nicephor. lib. XVIII. c. 46, 47. Hic *Jacobus Zanzalus* dictus, genere Syrus Philopon. σύγχρονος homo obscurus, qui propter tenuitatem suam ZANZALVS nuncupatus est. *Niceph. lib.* XVIII. *c.* 52.

Ægyptus Hæresi Eutychiana inficitur.

(*dd*) *Incrementa*] Sustentata hæc Secta ab Eutychianis maxime à Petro Cnapheo sub Imperatore *Zenone*, & nunc quoque inter Armenios, qui se Christianos appellant, permansisse fertur. Grassata vero est in Asia & Syria Orientali præcipue, ut quamvis initio parvus error videretur, successu temporis atque obstinationis accessione, gravissimus postea factus.

Incrementa ejusdem anni.

(*ee*) *Magis invaluit*] Nam hi Jacobitæ dogmatibus suis universam propemodum fascinabant Ægyptum; usque adeo, ut sedes Patriarchalis

Sæculo præcipue quinto.

Alexandrina per annos XCVII. continuos tantum à *Jacobitis* fuerit occupata teste *Elmacin. Histor. Sarac. p.* 84. Horum catalogum hic damus. Nam munus Episcopale delatum est *Timotheo Janurio* sive *Æluro* Jacobitæ, qui tertio statim functionis anno à duce quodam est relegatus. Porro *Alexandrinæ* sedi præfectus fuit *Timotheus* alius, cognomento *Surus*, itidem *Jacobita*, sedit vero XV. annos, fugitque in vallem *Habib*, ubi mortuus est. Redux iterum prior *Timotheus Janurius* præfuit biennium. Eo autem defuncto Patriarcha fuit constitutus *Petrus* etiam *Jacobita:* qui cum sedisset sex annos & 30. dies, coactus est fugere Constantinopolin, reverso interim ad cathedram *Timotheo Suro* per IV. annos, quo mortuo inspectionem habuit *Johannes* sex tantum menses. Recuperavit tum amissam dignitatem *Petrus* eamque per VIII annos retinuit ad mortem usque. Episcopatum ergo suscepit *Abinas Jacobita*, hic septem annos Ecclesiam gubernavit & obiit. Substitutus illi imperante Romæis Anastasio, *Johannes Monachus Jacobita* per IX. annos, tum alius ejusdem nominis & confessionis per XI. annos, donec secuti sunt *Dioscorus* & *Timotheus*, uterque Jacobita, quorum prior unum, posterior duos præfuit annos. Successit ipsi *Theodosius Jacobita* & Scriptor, sub Imperat. *Justino Trace*, & anno tertio relegatus est, & qui alii. Imo tantas radices Jacobitas egisse, ut vix ac ne vix quidem Alexandria atque Ægypto expelli potuerint, sed Patriarchas eorum seculo adhuc XII. in Arabum historiis recenseri docet idem author *Secul.* XII. *pag.* 63, 64. Hinc contra *Jacobitas* varia Concilia congregata sunt, quæ inter Florentinum 1439. tempore *Eugenii* IV. in quo damnatis erroribus receperunt Catholicam veritatem;

verum

verum post aliquot annos à Catholica Ecclesia se subtrahentes ad priores errores redierunt. *Queresm. Tom.* 1. *Elucid. Terr. Sanct. l.* I. *c.* 44. *p.* 110.

(*ff*) *Ineunte Imperium &c.*] Secta hæc Jacobitica florere cæpit ab anno Christi 474. ad 518. sub Romanorum Imperatoribus *Leone parvo*, *Zenone Isaurico & Anastasio*, qui omnes hujus sectæ fautores & propugnatores fuerunt. Leo parvus autem dictus, quod adhuc infans diademate cinctus fuerit; quia pater *Zenonem* nequaquam idoneum regimini judicabat ob animum minime regium. vid. *Evagr. lib.* III. *c.* 1. *& Suid. in Zen.* Sed cum Leo parvus seu infans unum tantum annum vixisset in imperio, defuncto illo Zeno successit, qui hanc Sectam iterum defendit. Vid. *Theodor. Althus. hist. Eutychian. pag. m.* 131. *edit. Lips.* Ita etiam *Anastasius* hujus hæreseos Patronus fuit. vid. *pag.* 148. *seq. hujus autoris.* Sub Impe- ratore Leone & ejus successoribus.

(*gg*) *Sub Justino & Justiniano*] Cæpit tamen Orthodoxa Ecclesia caput aliquantisper erigere Imperantibus Justino & Justiniano Orthodoxis, anno videlicet CCCCCXVIII. & sequentibus. Ille enim exules in loca sua datis literis redire jussit, dein, celebrato quodam cum illis festo, Concilium Chalcedonense legitime confirmari curavit; ad hæc *Antymum* Patriarcham Alexandrin. Jacobitam loco abdicavit: hic vero (Justinianus) primo statim regiminis anno *Theodosium* Patriarcham, Alexandria Constantinopolim accersitum, jussit Jacobitarum sententiæ renunciare, & ad fidei unitatem Christianam redire. Quod cum facere recusaret Episcopus, voluit Cæsar ipsum morte mulctare, precibus tamen Imperatricis permotus, exulare eum jussit, substituto *Paulo* Melchita. Sub Justino & Justiniano in ordinem cogitur.

(*hh*) *Seculari brachio*] Cum enim Jacobitæ

Brachio seculari.

nihil non studii pertinacitur in eo posuerint ut Orthodoxos subverterent, quare *Paulum* interfecerunt; & *Dalmium* successorem quoque in exilium ejecerunt. Atque sic Jacobitæ omnia plane Cæsaris mandata & instituta pro Orthodoxis suscepta violarunt. Delato igitur hoc nuncio ad Justinianum Cæsarem, ira fuit percitus, atque fortissimum è suis Ducem *Apollinarium* cum exercitu numeroso Alexandriam ablegavit, ad Episcopatum suscipiendum & tuto tenendum. Dux ergo iste eo perveniens, urbem habitu militari ingressus est, eumque prope templum postmodum deposuit, atque Patriarchali assumto, sacra celebravit. Alexandrini quidem in gratiam suæ heterodoxiæ ex omni angulo lapidibus novum petierunt Episcopum: sed à militibus ita sunt excepti, ut occisorum sanguis ad cæterorum genua pertingeret. Ita seculari brachio in ordinem coacti sunt, & ita munivit Imperator.

Et Concilio Chalcedonensi.

(*ii*) *Concilii Chalcedonensis decreta*] Hujus Concilii decreta contra Dioscorum & adhærentes promulgata *Justinianus* salva servari voluit, adhibitis etiam secularibus mediis. Operæ precium esse ducimus aliquid hic de Concilio Chalcedonensi in medium proferre, & quidem de tempore, ubi variantes invenimus Autores. *Marianus Scotus* cit. *Bellarmin. l.* I. *c.* 5. *de Concil. Concilium Chalcedonense rejicit in annum Christi* CCCCLII. *Sigebert. Gernblacens. apud Centuriat.* V. *p.* 933. *ad ann. Christi* CCCCLIII. Sic etiam *Hermannus Contract. Chron. p.* 187. *Johan. Sacran. Elucidar. Error. Ruthen. pag.* 203. *Matth. Palmer. in Chron. & Georg. Haloander ann.* CCCCLIV. Sic & *Chronicon* vetus *Noriberg.* MMMMCCCCXCIII. & *regali folio* impress. sexta ætate mundi fol. CXXXVII. *Naucleri in Luther. T.* 7. *Jen. Germ.*

von

von *Conciliis anno* 39. *pag.* 251. *in ann.* CCCCLV. *Johan Langius ex Nicephor. Callisto l.* XV. *c.* 30. *in ann.* CCCCLII. *Tom.* 2. *Concil. p.* 11. inscriptio, quam retinuit *Johann. Sagittarius Burdegalens.* Canon. Concil. sic habet: *Synodus Chalcedonensis* 630. *Episcoporum habita contra omnes haereses, maxime contra* Eutychen & Dioscorum, Valentiniano *septies & Avieno viris clarissimis, consulibus aera* CCCCLXXXVIII. &c. Communissime tamen & verissime tempus Concilii Chalcedonensis ponitur & refertur *ad ann. Christi* CCCCLI. Sic *Martin. Polan. Archi-Episcop. Consentinus* Summi Pontificis Pœnitent. *in Chronico edit. Colon.* 1616. *fol. ad ann.* CCCCLI. Quocum faciunt ex nostris *Helvicius Calvisius*, *Wagnerus Institut. histor. lib.* VII. *pag.* 577. *Micraelius l.* II. *Syntag. Hist. Eccles. pag.* 266. ex Calvinianis *Mornaeus Myster. iniquit. pag.* 164. *Bucholtzer. Indic. Chronolog. pag.* 247. *Alsted. Thesaur. Chronol. Forbesius à Corse Instruct. Theol. lib.* II. *c.* 10. *p.* 88. *Hottinger. Histor. Eccles. Secul.* V. *pag.* 249. ex Pontif. *Bellarm. p.* 2. *Chronolog. p.* 55. *Baron. & Spondan. ad ann. Christi* CCCCLI. Causa autem impulsiva, cur Concilium hoc ab Imperatoribus Marciano & Valentino convocatum fuit, ne errores *Eutychetis* & *Dioscori* ferantur & crudelitas in Orthodoxos perpetrata removeatur uti scriptores histor. Ecclesiast. hoc testantur. Cum ergo hactenus contra Decreta hujus Concilii actum, rata esse voluit illa *Justinianus* adhibita etiam seculari potestate.

(*kk*) *Melchitarum nomen*] Orthodoxis tribui voluit Imperator. *Melchitae* nomen ergo ab *Eutychianis*, *Arianis* aliisque adversariis impositum fuit *Christianis Antiochenis*, qui alias à Natione & patria *Syri* quoque dicti sunt, & ideo quidem, quia cum Episcopis suis eam Religionem secuti

Orthodoxi Melchitae vocantur.

ſunt, quam Imperatores profitebantur. Cum enim poſt Synodum Chalcedonenſem A. C. CCCCLI. habitam, qua Eutyches & Dioſcorus damnati ſunt; alii decreta Synodi obſervarent: alii non. Imperator *Leo*, cum ſucceſſoribus quibusdam, Synodum amplexus eſt & urſit, quo ipſo factum ut, qui in eo imitabantur Imperatores MELCHITÆ appellarentur, à voce Hebræa מלך quæ Regem denotat. Hi cæterum Orthodoxi ſunt Eutychianiſmum averſantes. His calculum addit Theodor. Althuſius in hiſtor. Eutychian. pag. m. 178. edit. Lipſ. ita differens: Qui ſe his (Jacobitis & aliis) oppoſuere Orthodoxi in Syria MELCHITÆ appellati ſunt, quaſi fidem ac religionem pro Regis placito profiterentur, rectæ fidei in Chalcedonenſi Synodo propoſitæ adhærentes. Nicephor. lib. XVIII. c. 57. Hos MECCHITAS Brerowodus lib. inveſtig. c. XVI. ait, hodieque cenſeri numeroſiſſimam in Oriente ſectam, ejusdem prorſus fidei & religionis & communionis cum Græcis Conſtantinopolitanis, ſubjectos tamen non Conſtantinopolitano Patriarchæ, ſed Patriarchæ Antiocheno, qui Damaſci reſidet, antiqua illa Antiochiæ Syriæ, jam in ſolitudinem fere redacta. vid, *Chytræi Orat. de ſtat. Eccleſ. Forbeſ. Inſtit. Theol. pag.* 115. *Luc. de Lind. Deſcript. Orb. pag.* 1050. Audiamus quoque *Elmacinum pag.* 251. ab *Hottingero* citatum *in hiſtor. Oriental. pag. m.* 347, 348. *Melchitæ*, inquit, *ſequebantur religionem* Marciani *Imperatoris: Jacobitæ autem dogma Dioſcuri, cui in juventute nomen erat Jacobi.* Alii à Jacobo Severi diſcipulo dictos putant uti pluribus refert cit. *Hottinger*. Subjicere hic ex eodem ſcriptore lubet *Ahmedis* verba, qui de hac ſecta

ita

ita scribit: *Secunda dicta est Romanorum, qui & MELCITÆ dicuntur, quorum sententia post unionem duas ponit naturas & unam personam.* vid. pag. 349. ubi pluribus de Melchitis eorumque doctrina agitur. Huc etiam referenda sunt verba *Johann. Morini congreg. Orat. Paris.* verba, quæ leguntur *in Antiquit. histor. Orient. pag. m. 650.* ubi ita disserit, *Melchitas esse Syros, Arabes, Ægyptios seu Cophtitas, & quoscunque alios, qui cum non sint genere Græci, Græcorum tamen sequuntur placita & ritus; dissentiunt quidem isti à Jacobitis in mysterio Incarnationis Verbi divini, cum Melchitæ teneant cum Concilio Chalcedonensi & sexta Synodo duas in Christo Domino esse naturas, duas voluntates, duas operationes. Jacobitæ vero unam duntaxat naturam, unam voluntatem & unam operationem: Discrepant præterea Jacobitæ à Melchitis, quod Jacobitæ Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere credant. Quod falsum esse dicimus, nam Orientales omnes hac in parte cum Græcis consentiunt.*

(*ll*) *Acrius in dissentientes animadverteretur*] *Melchitæ* enim, dum Imperatores Constantinopolitani rerum potirentur, tanta crudelitate prosequebantur Jacobitas, ut hi tandem Saracenis Ægyptum invadentibus sese dederent. Melchitæ quippe illos ceu Hæreticos sunt execrati, Græcorum etiam Imperatorum Præfectos Alexandrinos sibi conciliarunt, & ad Jacobitas persequendos exstimularunt. Causa autem cur in Jacobitas ita sævirent, hæc est, quod nollent recipere Acta *Concilii Chalcedonensis*, uti constat ex illis de Maxtriano Imperatoris Præfecto, quæ memorantur à B. Jobo Ludolf in annot. ad histor. Æthiop. Latine versa ex Æthiopic. lingua fol. m. 463. *Misit autem ducentos milites, ut investigarent omnes Episcopos* (Jacobitas) —— *illi autem ducenti milites*

Persecutio contra Jacobitas, sive dissentientes.

congregaverunt omnes proceres & Monachos ad Maxirianum. Qui praecepit eis & dixit: Credite in id, quod Scriptum est in hoc Codice, ut scil. seduceret illos per Codicem illum, qui plenus erat blasphemiis. Sed siluerunt omnes, Clamavit ergo iterum & tertia vice, sed nemo erat, qui responderet ei verbulum. Sic ira incensus jussit, ut flagellarentur. ô Monachi rebelles inquiens; Ne videatur vobis, quòd parcere velim vobis, nec effundere sanguinem vestrum. Quare mecum non lonquimini? Illico surrexit Abba Samuel & paratus exponere vitam suam morti dixit Maxiriano: Nos utique non recipimus chartam impuram: neque obtemperamus conventui Chalcedonensi.

Irruptio Saracenica in Ægyptum.

(*mm*) *Ut Saraceni*]. Impetum hunc factum asserunt Scriptores in Ægyptum tempore Benjaminis Patriarchæ Alexandrini XXXVIII. qui sectæ Jacobitarum fuit addictus. Hujus tempore *Saraceni* Ægyptum occuparunt, dedente se illis Præside Heraclii Imperatoris, nomine MEKAUKES & ipso Jacobita. Nam persecutionum pertæsus, quas sectæ suæ homines à MELCHITIS perpetuo experiebantur, maluit Muhammedanorum, tunc temporis Christianos variis promissis pellicentium, ditionem subire, quam perpetuas vexationes Græcorum pati. Interim latuit Benjamin, donec jussu *Omari*, tertii à Muhammede Saracenarum Principis ab *Amro Ibn-el Assi*, i. e. Filio Assi, occupata Ægypto, securitas & protectio illi promitteretur. Deplorando exemplo. Si Christiani ob dissensiones circa Sacra alii alios ita exagitent & persequantur, ut tutelam & securitatem apud Christiani nominis hostes quærere cogantur. De persecutione ipsa, quam Jacobitæ antea passi erant, sic scribunt Æthiopes in vita Samuelis MS. cujus verba Æthiopica La-

tine

tine verſa nobis reliqit *B. Jobus Ludolf. fol. m.* 429. *annot. ad hiſt. Æthiopic.* quæ ita ſonant: *Poſtea facta eſt magna perſecutio juſſu Imperatoris Romani propter Orthodoxam fidem.* Et expulerunt (ſede ſua) *Abba Benjaminum* Patriarcham *Alexandrinum, quem occidere volebat homo quidam miſſus ab Imperatore Romano. Et attulerunt librum Chalcedonenſem & juſſerunt, ut omnes Presbyteri ſubſcriberent fidei Chalcedonenſi.* Sequitur deinceps perſecutio Benjaminis ejusque aſſeclarum manu militari per ſylvas & ſaltus, per invia & avia usque in deſertum. Frater *Mekaukis* odio ſectæ in *Nilum* præceps datus occaſionem iſti dedit ad Saracenos deficiendi. De qua re Gregor. Elmacin. in Hiſtor Sacrar. lib. I. cap. 3. pag. 29. وكان المقوقس عاملا علي مصر من جهة هرقل فاجتمع هو واكابر القبط وصالحوا عمرا بن العاص علي ان يودوا الجزية i. e. *Erat autem Mekaukes Præſes Ægypti nomine Heraclii: Et convenerunt ipſe & primores Coptitarum & pacem fecerunt cum Amro Aſſi filio eo pacto, ut tributum ſolverent.*

(*m m*) *Diutina injuria*] Non modo tunc temporis, ſed etiam diſſidium hoc inter *Melchitas* & Jacobitas jam ultra mille & ducentos annos durat; & *Petrus* Dryling Germanus *Memphi die* XX. *Auguſt.* 1634. ſequentia ad *Hugonem Grotium* ſcripſit: *Inveterata diſcordia inter Patriarcham* Alexandrinum Græcorum & *Patriarchum Alexandrinum Ægyptiorum* vel *Coptorum* vel *Coptitarum* ad huc conſtans perſeverat, quod neuter ſedem S. Marci jurisdictionemque divinam; ſed uterque ſibi ſuisque integram reſervare velit. „ Popu-

Diſſidium longum inter Melchitas & Jacobitas.

„ li *Græci* atque *Ægyptii* neuter alterius templa per „ Magnam Memphim antiquitus constructa ingre- „ ditur". vid. *B. Job. Ludolf. fol. m.* 466. *not. ad Histor. Æthiopic.*

(*nn*) *Refugium quæsivere*] Unde *Eutychius* testatur, quod cum *Saraceni* in Ægyptum irruptionem facerent Coptitæ seu Ægyptii illis ipsis, licet à Christiana religione alienis, magis quandoque adhæserint, quam præsidio Imperatorum. Id quod etiam sentiens Muhammedes pactum cum eis iniit, incolumitatem Coptitis promittens, ubi constitutum solvissent tributum. Unde merito quærimus, cur Christiani sub imperio Turcico, cum libero religionis exercitio tolerentur, cum tamen Turcis exosi sint? Si igitur inquirimus in rem tres causas reperimus, quarum (1) est partim Lex Muhammedis, quæ istam libertatem concedit, & contrarium prohibet, teste *Geufræo in descript. Aul. Turc. pag.* 71. *part.* 1. partim Testamentum sive fœdus inter ipsum Muhammedem, & Christianos ante mille & quinquaginta circiter annos, septimo nimirum seculo post Christum natum initum, & à XXXVI. testibus subscriptum, qui sequentes sunt: *Abu-Beceri Essadick Othman ben-Asan Movia ben abi-Sofian Abuadrin Abdalla ben Masub Hamza ben-abdi-Elmutaleb. Zaido ben-Thabet Harfus ben-Zaid Saad ben-Moad Asamed ben- Zaid Abdalla ben Omar El-aas Hasan ben-thabet Aben El-abbaas Saad ben-abaden Sahalben-baida Abu El-alia Haschem ben Asia Caab ben-Melek Omar ben-El Chatab Ali ben Abi Thalib. Abu Edardda Abu-Horain, Abdalla ben-elabbans Fodail. Abdalla ben Zaid El Zubair ben-El allam Thabet ben Kais Othmann ben Matuum Aben Rabija Giafar ben-abi taleb, Tulba ben Abdalla Zaida ben-artam David ben Giobair Abu abrisa ben Osair*

Omar

Omar ben-Jamin Caab ben Caab, Secretarius autem fuit *Muavia ben-Abi Sofiam*, miles Nuncii Dei. Latineque ex lingua Arabica nuper Anno MDCLXI *à Johanne Georg. Niſſel. verſum*, & *Lugdun. Batavorum* editum, in quo Chriſtanis magnæ inter Turcas immunitates, magnaque & inviolabilia conceduntur privilegia, ubi inter cætera p. 3. ſequentia leguntur verba Muhammedis: *Per hoc fœdus & Teſtamentum meum polliceor, me defenſurum judicem eorum* (Chriſtianorum) *in provinciis meis per equites, pedites, adjutores & ſequaces meos fideles; & eos undique ab inimicis ſervaturum, ſive remoti fuerint, ſive propinqui, tam in pace, quam bello & ſecuras redditurum Eccleſias eorum, templa, oratoria, monaſteria: & loca peregrinationis protecturum ubicunque ſita fuerint, in monte aut valle, caverna aut domicilio, planicie aut arena, aut ædificio: Religionem quoque & bona eorum defenſurum, ubicunque fuerint, & quacunque in parte jacuerint, in terra aut mari, Oriente ſive Occidente, quemadmodum cuſtodio me ipſum, ſceptrum meum & gentis meæ populos fideles atque Muſulmannos.* Et paulo poſt p. 11. *Nec vexent quenquam illorum, cum fuerit inter Muſlemannos, neve odio proſequantur ipſum, cogantque ad literas ferendas, aut iter indicandum, aut alio quovis modo angarient, qui enim hujusmodi tyrannides in quempiam exercuerit, oppreſſor eſt, & Nuncio Dei* (Muhammedi) *adverſarius atque ejus præcepta refractarius, hæc ſunt pacta conventa inter Muhammedem, Nuncium Dei & Chriſtianos.* Et denique in fine pag. 13. *Quare gentem meam conteſtor per Deum, & Prophetam ejus, ut hæc fideliter cuſtodiant & opere compleant, ubicunque terrarum fuerint, & Dei nuncius rependet eis præmium pro iſtis, quorum obſervantiam perpetuam usque ad extremum* ju-

judicii diem & mundi solutionem, serio commendat. Observandum ergo injuriam fieri, huic Muhammedis testamento ab *Hugone Grotio*, qui illud putat esse ὑποβολιμαῖον, & *à Christianis suppositum, ut sub obtentu tanti nominis Musulmannis æquioribus uterentur*, quæ sunt ejus verba in *Epist. ad Gall. p.* 239. nam quia constat de singulari Muhammedis erga Christianos affectu, quid prohibuit, quo minus tale quid isti ab ipso obtinuerint? de isto autem affectu ita scribit *Elmacinus*, testis gravissimus & fide dignissimus, *in Histor. Saracen. p.* 11. *Habetur in Christianorum monumentis, addictum Muhammedem Christianis fuisse mitemque erga eos, cumque magna turba eum aliquando accessissent, securitatem petituri, tributum ipsis imposuit, beneficiisque affectis securitatis instrumentum scripsit, dicens Omari: Nuntia iis, animas eorum nos habere sicut nostras & opes eorum sicut opes nostras, & accidentia eorum sicut accidentia nostra &c. cumque venisset aliquando ad eum quidam ex Christianorum magnatibus, surrexit, honorem ei exhibens: qua de re cum eum alloquerentur quidam, respondit: Cum venerit ad vos primarius populi alicujus, honorate eum, nam hic vir magnus est in populo suo.* Dixit quoque ut author præfationis refert: *Benefacite Coptitis Ægypti, sunt enim vobis genere & affinitate juncti.* Item, *qui Christianum opprimit, adversarium eum habebit die judicii. Et qui Christiano nocet, mihi nocet.* Cautior itaque est *Hottingerus in Histor. Orient. pag.* 237. qui rem hanc mavult relinquere in medio, quam temere quidquam de ea statuere. Cæterum ante *Nissel.* Testamentum hoc edidit *Rostochii M. Joh. Fabric. Dantisc. anno Chr.* 1638. & ante ipsum in Gallia *Gabr. Sionita Profess. quondam Lingu. Arab. & Syriac. Paris.* cum versione

La-

Latina, qui itidem non spurium, sed genuinum illud esse affirmat. *Altera* causa consistit in *annuo tributo* Christianorum, quarta nimirum parte proventuum, & Sultano pro quolibet capite, teste *Eduard Brerew. in Scrutin. Relig. p. 5. ex Georgie viz. de afflict. Christ. sub Turca cap. de Tributis pag.* 179. *& Geafræ. Descript. Aulæ Turc. p.* 82. *p.* 1. quod quotannis ingentem argenti vim conficit, quia Christianorum numerus permagnus est.

(*oo*) *Numero longe potiores*], Tantus Christianorum numerus est inter Turcas, ut hodie vel viginti duo Templa *Constantinopoli* habeant, *Thessalonicæ* vero supra triginta, cum Muhammedani tria duntaxat possideant: ubi adhuc insuper *Thessalonicensi Metropolitæ* decem Suffraganei in illa provincia, *Philippensi* centum & quinquaginta Ecclesiæ, *Atheniensi* totidem, *Corinthio* centum cum aliquot Suffraganeis subsint, *Chytræ. de Statu Eccles. Gerlach. in Epist. ad Crus.* Atque hæc saltem *Græcia*, quid dicemus de *Asia* & *Africa*? De solis *Nestorianis* audet affirmare *Brerewod. in Scrut. Relig. p.* 79. illos maximam Orientis partem occupare, neque mirum, nam florent non solum in magna parte *Tartariæ*, sed & in præcipuis *Asiæ* provinciis, ut in *Babylonia*, *Mesopotamia*, *Assyria*, *Parthia*, *Media* & aliis locis, de quo legi potest *Paulus Venet.* & *Guilh. de Rubr. in Itiner. Tartar.* passim. Quid porro statuemus de *Jacobitis*, *Armeniis* & *Maronitis*? *Jacobitæ* numerant suas in *Oriente* familias LM. juxta *Boter. Relat. p.* 3. *l.* II. vel CLXM. secundum *Crusium* in *Turco-Græc. l.* IV. *p.* 297. *Armenii* incolunt totam *Armeniam* majorem, sive *Turcomanniam* ultra *Euphratem* & *Armeniam* minorem cis *Euphratem*, itemque *Ciliciam* sive *Carma-*

Jacobitarum ingens numerus.

maniam, tantaque eorum eſt multitudo, ut jurisdictioni & inſpectioni duorum, quos habent, Patriarcharum, ſubſint Familiæ CLXXM, nec non plurima monaſteria *Leonhard. Sidon. ap. Thomam à Jeſu l.* VII. *p.* 1. *c.* 19. Hic ſi accedent *Melchitæ*, *Georgiani*, *Circaſſii*, *Mengrellii*, & ex Africa *Coptitæ*, conficient univerſim numerum aliquot millenariorum millium. conf. *Henning Henningi annot. ad Muhammed. Precaut. pag.* 64.



JOSE-



JOSEPHI ABUDACNI HISTORIA JACOBITARUM, Seu COPTORUM, *In Ægypto, Lybia, Nubia, &c. habitantium.*

CAPUT I.

(a) *De Nomine Jacobitarum.*



MUlti antiqui Doctores Jacobitarum originem, & eorum à quibus sunt oriundi nomen cognoscere desiderarunt: sunt enim multi numero (sicut postea ostendemus) & multos errores habuerunt, & habent etiamnum in Religione. Illi non modo Jacobitæ appellantur, sed (*b*) Copti, atque omnibus fere Papicolis in Europa

(*c*) *Chri-*

(*c*) *Christiani per cingulum* nominantur. Quod ad nominis originem attinet, arbitrantur superius citati Doctores, illos accepisse hoc nomen (*d*) ab Antiquo eorum Patriarcha Alexandrino (sunt enim illius sedis subditi) vel ab aliquo Sancto, puta (*e*) Jacobo Syro Barradiensi. Sed hoc non videtur esse certum; in Catalogo enim Patriarcharum, quorum meminerunt in Sacrificio Missae, (*f*) nulla fit hujusmodi Patriarchæ mentio. Ideoque hæc est maxime probabilis omnium sententia, illos nimirum oriundos esse (*g*) ab Antiquo illo Patriarcha Jacob filio Isaac filio Abraham, nominato sæpe in sacris literis (*h*) Israel (ut postea in altero Coptorum nomine videbitur.) Ac sane si hoc verissimum non esset, multitudo Hebræorum, (*i*) qui Ægyptum etiam incolunt, Israëlitæ, non autem Jacobitæ appellarentur; sed quia Hebræi (qui per totum terrarum orbem innotescunt) hoc Israëlitarum nomen adepti sunt, (*k*) volunt ab ipsis (quanquam in circumcisione consentiant) differre hoc primo nomine Jacobi, & non Israëlis. Adde (*l*) quod sunt Christiani, non autem Hebræi, & id agunt ut distinguantur ab aliis Nationibus, quæ easdem regiones cum illis incolunt. Non habent igitur alterum generis sui Authorem à quo Jacobitæ denominentur nisi supra citatum Patriarcham. Et hoc ipsemet etiam

testa-

testari possum, me audivisse in exhortationibus, quæ publice privateque fiebant, (*m*) eos vocari Israëlitas, & Israëlis gregem, &c.

De secundo Nomine.

Appellantur quoque ut supra diximus (*n*) Copti, ab oppido Thebaidis celebratissimo, utpote quod commune est Ægyptiorum & Arabum emporium, vergens ad mare rubrum: quod & toti Ægypto nomen dedit, nimirum ut sit (*o*) *aia guptos* sive *Koptos* vel *tées Koptou.*

De tertio Nomine.

Miraberis fortasse, nec immerito, qua de causa ab Europæis *Christiani della ceintura*, hoc est (*p*) *Christiani per cingulum* appellentur. Desines forte mirari ubi noveris causam. Copti itaque (uti postea pluribus verbis in capite de Sacramento Baptismatis ostendemus) in receptione Sacramentorum (*q*) cingulo quodam utuntur, quo Sacerdos eum qui Sacramenta recipit solet cingere, & hoc quidem (*r*) vocant *cingulum castitatis*, ut Christus ait in Evangelio. Ab hoc ritu hocce nomen sortiti sunt.

NOTÆ AD CAPUT I.

Unde Jacobitarum nomen.

(*a*) *De nomine Jacobitarum*] Quod ad nomen Jacobitarum attinet, Autor in hoc capite varie disserit, & asserit, multos hactenus scire desiderasse, unde hæc Secta nomen acceperit, & à quo dicti *Jacobitæ*? Neminem autem latet, *Jacobitas* nomen traxisse à viro quodam hoc nomine dicto. Sacram Scripturam si evolvimus, nomen hoc tributum fuit Isaaci filio, de quo legimus *Genes.* XXV. 26. vel à parente *Isaaco* vel Deo ipso, qui eo loco vocatus יעקב ab עקב supplantavit, vel plantam pedis tenuit, uti *Henric. Ainsworth. Comment.* in h. l. cum aliis exponit scribens: יעקב *Jacob that signifieth one that should hold by the foot or over throw his brother*, uti *Esavus* cap. XXVII. 36. hoc nomen explicat: Vere nomen ejus inquit יעקב. Nam יעקבני זה פעמים supplantavit me jam duabus vicibus, & ita notat *deceptorem à deceiver.* vid. *Ainsworth. fol. m.* 103. & in hoc sensu accipitur *Jerem.* IX. 4. Quisque ab amico cavete, neque omni fratri fidatis: כי כל אח עקב יעקב quia omnis frater πλέξειν πλεξνιεῖ *supplantando supplantabit.* Atqui fraudulenta ejusmodi supplantatio, qualis est dolosi luctatoris hac voce indicatur. confer. *Nicol. Lloyd. Dictionar. Geograph. pag. m.* 537. *edit. Genev.*

Quare iidem adpellati sint Copti.

(*b*) *Copti*] A præfectura Ægyptiaca à Mesraim filio Cham fundata, quem Ægyptii Arabes passim قبط *Kopt* appellant, *Coptitæ* KEϤϪ *Keft*, à qua & tota deinde *Ægyptus Coptos* vel corrupte *Giptos* fuit dicta, de quo videatur *Athanas.*

naf. Kircher in prodromo Copto. Sed audiamus *Gelaldinum Arabem Historicum*, qui in Historia Regum Ægypti sic dicit, referente *Kirchero in Oedip. Ægypt. Syntag.* I. *fol. m.* 41. *edit. Rom.* cujus verba hæc sunt: *Et successit Bother filius ejus Mesra, divisitque singulis fratribus suis Ægypti partem, sibi ipsi parum quoque de terra, quam divisit filiis suis, cumque multiplicarentur filii Mesræ, & filii filiorum ejus, divisit adhuc singulis unam partem, & eam quidem, quæ est juxta Nilum dedit filio suo* Copt, *locum videlicet Copt* vel *Cipt* & habitavit ibi nominatusque fuit à loco *Copt*, *Coxt*. Hi religione *Jacobitæ* sunt. vid. B. Jobi Ludolf. Comment. ad Histor. Æthiop. fol. 462.

(*c*) *Christiani per cingulum*] Olim *Jacobitas* dictos fuisse *Christianos cinguli* Papicolæ testantur. Italice *Christiani della cintura*. de qua re in sequent. Quare Christiani per Cingulum dicti.

(*d*) *Ab antiquo Patriarcha*]. Verum vix nomen ab illo recipere potuerunt, cum nullus in laterculo Patriarcharum hujus nominis reperiatur, dictus *Jacob*. Dabimus igitur laterculum hunc ab eruditissimo *Seldeno* nobis communicatum, in quo nomina Patriarcharum recensentur hoc modo. (1) *Hananias* seu *Anianus*. (2) *Abilius*. (3 *Cerdon*. (4) *Primus*. (5) *Justus*. (6) *Eumenes*. (7) *Marcianus* seu *Marcus*. (8) *Celadius* seu *Celadium*. (9) *Agrippas* seu *Agrippinus*. (10) *Julianus*. (11) *Demetrius*. (12) *Heraclas*. (13) *Dionysius*. (14) *Maximus* seu *Maximianus* (15) *Theon* seu *Theonas*. (16) *Petrus*. (17) *Achillas*. (18) *Alexander*. Nullus horum *Jacobus* vocatur, quare hinc originem nominis trahere non possunt. An ab antiquo aliquo Patriarcha?

(*e*) *Jacobo Syro Barradiensi*] Rejicit autor noster hanc opinionem, quæ tamen omnium probatissima. *Jacobum* hunc, unde secta orta hæc, Jacobo Syro Baradiensi?

Syrum genere fuisse scribit *Nicephor. lib.* XVIII. *c.* 52. *Tzanzalum* cognominatum. البرادعي *Baradæum* vel *Baradiensem* dictum memorat *Eutychius Alexandrin. in Annal. suis Tom.* II. *pag.* 147. Cur autem Daradæus dictus refert cl. Hottinger. in Histor. Orient. pag. m. 345. ex *Patricide*. Sic ille *pag.* 204. „ Habuit *Severus* discipulum „ *Jacobum*, qui vestitus erat laciniis strati, jumen„tis imponi soliti, ubi alia alii assuitur (Arabice „ Barada vocatur) atque hinc fuit appellatus *Ja„cobus Baradæus*".

Sed nulla ejusdem in Catalogo Patriarcharum mentio.

(*f*) *Nulla hujus fit mentio*] Recte quidem uti ex præcedentibus constat; sed hinc non sequitur, quod ab hoc Jacobitæ non fuerint appellati; nam *Severi* Patriarchæ Antiocheni discipulus fuit, qui tempore *Anastasii* Imperatoris sub finem seculi quinti vixit.

Jacobitæ dicti videntur propter Originem antiquam ex Patriarcha Jacobo.

(*g*) *Ab antiquo illo Patriarcha Jacobo*] Veritati consentaneum non videtur, quod ab hoc Patriarcha nomen acceperint, quippe hæc Secta testibus viris doctis Seculo VI. primordium cœpit, uti B. *Hildebrandus de Sectis* vult, inquiens: *Hi* Jacobitæ *oriundi sunt ex Syria, autore Jacobo, qui circa eadem cum Agnoëtis tempora vixit*. Vel plerique dicti sunt *Jacobitæ* quod Jacob Monophysitarum Patrono adhærerent. De quo refert B. D. Calixtus in Apparatu Theol. pag. 107. in hunc usque diem ab hoc Jacobo Christianos in *Mesopotamia* & *Assyria Jacobitas*, vocari, & de Eutychianismo suspectos haberi, qui tamen Eutychen tanquam Hæresiarcham adhuc damnant. Hinc patet quod *Jacobitæ* Eutychiani non sint. vid. B. *Jobi Ludolf annot. ad Histor. Æthiop. fol. m.* 464.

(*h*) *Israël*

(*b*) *Israël*] Quod nomen à Deo ipso Jacobo imponebatur, quod quasi prævalens sive dominans cum Deo, ut bene observant *Leusden. Onomastic. pag. m.* 159. & *Dieteric. Antiq. in V. T. fol. m.* 236. ut miremur, quid *Augustino lib.* XVI. *de Civ. Dei c.* XIII. 39. *Didymo lib.* II. *d.* 55. *apud Hieronymum fol.* 200. *Cassiano lib.* VII. *de Inc. f.* 34. *cum Philone*, *Nazianzeno*, *Hilario*, *Prospero* in mentem venerit, cum dictum volunt eum tanquam vir videns Dominum, quibus omnibus solum opponimus *Glassium Gram. Sacr. lib.* IV. *Tract.* 834. causam hujus appellationis erudite reddentem & quidem his verbis: „*Jacobo* superadditum *Israëlis* nomen legitur *Gen.* XXXII. „ 28. quod nomen compositum est ex שרה principem esse & אל Deus fortis. Ratio transnominationis in ipso textu additur; Quia שָׂרִיתָ ut Principem te gessisti pugnando cum Deo & hominibus prævaluisti. Sed quid de hoc plura? Placet „ cum Hieronymo in *Esa.* XLIV. concludere: *Proprie juxta Hebræos & literarum fidem Israël rectus Dei dicitur. Vir autem videns Deum non in elementis sed in sono vocis est*".

Ab eo videlicet, qui & Israël dictus fuit.

(*i*) *Qui Ægyptum incolunt*] Rationem addit Autor noster quod Jacobitæ à Jacobo Patriarcha originem trahant; quia Hebræi Ægyptum incolentes non *Israëlitæ* sed *Jacobitæ* appellarentur. Verum haut probabile videtur, cum ex Scriptura *Sacra Exod.* I. 9, 10. pateat, quod antiquissimis temporibus Hebræi in Ægypto degentes vocati fuerint populus Israëlis. Nam citato loco Rex Ægyptiorum suos alloquitur his verbis: *Ecce populus filiorum Israëlis.* Si igitur eo tempore populus Israëlis dictus; non videmus rationem, cur relicto hoc nomine Hebræi *Jacobi* nomen re-

Hebræi Ægyptum incolentes Jacobitæ, non Israëlitæ dicti.

ceperint? Imo potius ab illis, qui Judæos Ægyptiorum prolem crediderunt, Judæi, non Jacobitæ vocantur. vid. *Orig.* 446. *Strab. lib.* XVI. *p.* 125. Ita etiam *Josephus contr. Apion.* Si *Ægyptii sunt, cur Judæos vocas, si peregrini, cur non unde exprimis.*

Altera ratio quare Jacobitæ non Israëlitæ dici voluerint.

(*k*) *Volunt ab ipsis differre*] Sed quare volunt dici Israëlitæ? calva est ratio Autoris, quia Hebræi per totum terrarum orbem hoc nomine dicantur Israëlitæ, Ergo ob hanc rem differre volunt. Verum labilis est ratio. Si enim universus Israël nomen hoc retinuerit, qui à Jacobo deducitur; cur etiam non Jacobitæ? quia à Jacobo nomen accepisse jactitant, Israëlis nomen retinuerunt? Quid enim prohiberet cur non appellarentur Israëlitæ, uti ipsi Autor, paucis interjectis lineis fatetur. Falsum igitur esse asserimus, quod à *Jacobo* Patriarcha originem trahant.

Tertia ejus Dei rusio.

(*l*) *Quod sunt Christiani*] Falsum quoque ex hoc nomine Christiani elucet, quod à Jacobo Patriarcha appellentur, quia nomen hoc tempore Apostolorum ortum. Jam autem ex Autore nostro constat Christianos esse, uti etiam hoc confirmat B. *Jobus Ludolf. in annot. ad Histor. Æthiopic. fol. m.* 462. qui fieri potuit, ut à Jacobo Patriarcha deducantur, cum eo tempore, quo Christiani nomen ortum confusio tribuum fuerit, ut ipsis Judæis non constaret, ex qua tribu fuerint; nec nomen Christiani à Judæis usurpatum, usque ad illud tempus, quo *Antiochiæ* primi Christiani dicti. vid. *Act.* XI. 26. circa *annum* XLIII. seu sub initia *Claudii Augusti.* A *Suida* tribuitur ipsi tempori, quo *Euodius Antiochiæ* creatus est à *Petro* Episcopus, i. e. juxta *Hieronym.* anno tertio *Claudii August.* & Æra Christi vulgari

XLIV.

XLIV. confer. *Balduin. Wal. in Comment. ad Act. Apost. pag. m.* 1142.

(*m*) *Eos vocari Israëlitas*] Hiç sane confirmat Autor quod paulo ante negavit; confitetur se audivisse, quod Jacobitæ invicem sese Israëlitas vocarint; sed male intellecto vocabulo hoc affirmat. Nam Israëlita, quatenus de Christiano dicitur, non significat Israëlitam à *Jacobo*; sed more loquendi N. T. notat quemvis verum Dei cultorem, uti Christus *Joh.* I. 47. de *Nathanaële* affirmat, inquiens: *Ecce verus Israëlita, in quo dolus non est*, quod idem est acsi dixerit: *Ecce vere pius aut Christianus.* vid. *Flac. Clar. Script. Sacr. fol. m.* 483. confer. *Les mœurs des Israëlites par M. Flery. part.* III. *cap.* 7. *pag. m.* 204. *edit. Hag. Comit.* Israëlitæ dicti in publicis adhortationibus.

(*n*) *Copti*] Unde *Copti* dicti varie disquiritur. Nonnulli nomen hoc divinant à Rege quodam Ægypto vulgo CHIBTH; Alii à Religione deducunt sive professione. Alii denique priora rejicientes deducunt à *Copto* urbe *Thebaidos* olim clarissima uti etiam Autor noster. *Coptus* vel *Coptos*, *Cana* teste *Rhamnusio* oppidum *Thebaidis*, commune *Ægyptiorum* & *Arabum* emporium, vergens ad mare rubrum, ubi cautes sunt, ex quibus eruuntur Smaragdi. *Juvenal. Satyr.* XV. Copti unde dicti sint.

Gesta super calidæ referemus mœnia Copti.

Coptus, inquit, *Lubin.* ad h. l. in *Ægypto* Arabiæ vicino. *Calidæ* ob locum & regionem calidam. Meminit illius *Stat. lib.* I. *Thebaid. v.* 265.

—— —— melius vobis Mareotica fumat.
Coptos & ærisoni lugentia flumina Nili.

Ubi sic vetus *Scholiastes:* Coptos civitas *Mareotica Ægypti*, in qua *Io*, versa in *Isidem*, colitur, cujus sacris sistro celebratis, *Nilus* exæstuat. conf. *Johann Veenhusen annot. ad h. l. pag. m.* 296. *edit. Lugd. Bat.* 1671. *Athanasius Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* I. *fol. m.* 41. ex *Abulfeda* hujus situm ita describit: *Coptus autem infra KAUS ex parte Orientali deserti supra aliquot Margalis à Kaus & fines ejus sunt à Knaupho usque in Eschraph, quæ est vicina monti Nili.* Illorum ergo opinio præ reliquis placet *Athanasio Kirchero in Prodr. Copto cap.* 1. qui ab urbe nomine *Copton Coptitas* dici volunt. Fit autem hujus urbis mentio apud *Fl. Joseph. lib.* IV. *c.* 11. *de Bello Jud. Plin. lib.* V. *Hist. natur. cap.* 9. & *Plutarchum*, qui *lib. de Iside & Osiride* remotius paulo ab initio, inquit, *Isin vestem sumpsisse lugubrem, ubi urbs est, quæ COPTUS hodieque dicitur.* Strabonis tempore hæc Urbs adeo celebris extitit, ut commune audiret Arabum Ægyptiorumque emporium, ad quod omnes, Indicæ, Æthiopicæ & Arabicæ merces ex Mari Rubro deferrentur. vide ipsum *lib.* II. *Geogr.* Sita autem fuit hæc Coptici Nomi seu Præfecturæ Metropolis sub 26. Latitud. gradu & longitud. 62. dictaque Rhamusio قنه *Kana.* conf. *Kircher. Prodr. init.* cum *Oedip. Tom.* I. *Synt.* III. *c.* 7. Reperiebantur ibidem *Hori*, *Isidis*, *Osiridis*, *Serapidis* imo & Crocodilorum simulacra, quæ sicut Gentiles *Coptitæ* religiose ut Numina coluerunt, ita contra *Christiani Coptitæ* adeo aversati sunt, puta amore religionis, ut ne quidem nominare voluerint, referente *Kirchero in Prodr. c.* V. sub finem ex *Volateran. lib.* XXV. Eversa autem civitas illa à *Diocletiano* fuit, prout *Magdeb. Cent.* III. *p.* 318. annotant,

nec

nec iterum ædificata. Hodie enim nulla amplius in *Ægypto* civitas hoc nomine venit. Nisi quis forte cum *Kirchero* huc referre velit urbem قنا *Kana*, quam mercatoribus undique confluentibus hodie frequentatissimam idem ille in *Oedip. Syntag.* I. *cap.* 5. testatur, atque veterem urbem *Coptum* esse putat. Qualem quoque *Cluver.* ad Mare Rubrum sitam adducit *lib.* V. *cap.* 24. Alii autem *Coptum* dici volunt à κόπτειν, quia *Isis* ibi præ dolore absciderit capillos, vel quia cum in ea degeret *Isis*, privata sit *Osiride*, nam *Coptus* lingua *Ægyptiaca* privationem notat, uti refert *Plutarch. lib. de Isid. & Osirid.*

(*o*) *Aia guptos*] Notat *Masius*, Ægyptios in quibusdam antiquitatibus ÆGOPHTI denominatos, ab hoc igitur nomine levi mutatione, abjecta nempe per aphæresin usitatam, vocali composita Æ, factum COPHTI. Atque hæc sententia arridet *Alexandro Ross. intr. Germ.* Beschriebung aller Religionen / pag. 179. & 936. confer *Brerewod in Scrutin. Relig. pag.* 170. *Hornbeekius* in *summa Controvers. pag.* 957. COPHTOS dictos scribit à Metropoli Gophto. Unde Coptos dicendos putat vel Coptitas non Cophtos. Verum si à circumcisione Christiani in Ægypto à Muhammedanis COPHTITÆ dicti, sane non per contemtum ita ab illis appellati videntur, quia & ipsi illam magni æstimant, Ad hæc nullum in lingua Arabica, & Ebræa, testantibus viris doctis, occurrit vocabulum circumcisionem significans, quod cum ΚΟΦΘΟϹ Cophtus seu Gophtus cognationem habeat. Neque tamen negare velimus, quod à Christianis cæteris, puta Græcis ibi viventibus, per contemptum KOFTI, i. e. *circumcisi*, idque lingua Græca crassiore, ut no- Ægyptus unde sic dicta.

tat *Schwigger. in Itiner. lib.* III. *cap.* 10. *p.* 252. dicantur. *Vossius* autem plane iis assentit, quibus COPTOS toti *Ægypto* creditur nomen dedisse, nempe ut Αἴγυπτος dicatur quasi αἶα Γύπτος sive Κόπτος vel τῆς Κόπτου. Atque hanc opinionem admodum firmat Ignatius Patriarcha Alexandrin. vir reconditæ eruditionis epistola ea, quam Arabice scripsit ad summum virum *Scaligerum*. Mirum vero, cum, ut dictum, nulla jam in Ægypto civitas isthoc insignita nomine extet, & de veteri *Copto* vix rudera amplius supersint, nec ipsa quoque Ægyptus hodie *Coptus* nominetur, cur hodierni in Ægypto Christiani vocari ament *Copti*, ac non potius *Alexandrini*, cum Alexandria, uti notum est (non urbs Coptæ) sedes olim fuerit Coptitarum Episcopi Patriarchalis. Constat autem de ista re tum è Schweiggero tum ex Baronio Tom. VI. Annal. ubi inter alia commemorat, quod literarum, *Gabriele Alexandrino Patriarcha ad Clementem* XII. P. R. perscriptarum calci hæc addita fuerint; *Perveniat, volente Deo, Romam ad manus magni Papæ Alexandriæ Coptorum Patriarchæ.* Et iterum in alia quadam Epistola: *Scripsimus cl.* 16. *Mensis Hatur benedicti, anno juxta Coptorum computationem* &c. Sed hæc aliis discutienda relinquimis, haut tamen improbabilem censentes illorum opinionem, qui statuunt, quod cum Christiani vel solitudinis amore, vel ob grassantes persecutiones in Thebaidos deserta, urbi *Copto* proxima, commigrarint, factum inde sit, ut Christiani postmodum maluerint ab urbe *Copto Coptitæ*, quam ab Alexandria *Alexandrini* nominari. Accedit, quod in regione Thebaid. cujus Metropolis Coptus erat, maximus Martyrum numerus fuerit.

(p) Chri-

(*p*) *Christiani per cingulum*] Notandum quod non omnes Christiani in Ægypto hodie viventes COPTITÆ salutentur: *Sunt enim ibidem & alii Græcæ Religioni addicti, qui circumcisionem non admittunt, uti hi Coptitæ faciunt*, qui ut Schweigg. in Itiner. Const. notat ab Italis vocantur *Christiani della Cintura*, forte quod peculiari vestitu incedentes Zona se cingunt. Refert quoque *Leonclavius p. 2. Chron. Turc. p.* 130. quod Maronitæ Hierosolymis degentes itidem *Christiani della Cintura*, i. e. *præcinctura* appellentur.

Christiani per cingulum dicti.

(*q*) *Cingulo quodam utuntur*] Scil. in receptione Sacramentorum, ubi Sacerdos Sacramenta recipientem cingere solet. Hæc si accuratius perpendantur, non sine fundamento sunt. Nam cingulum olim erat signum militis, uti *celeberr. Johan Braunius* in erudito opere *de vestitu Sacerdotum Part.* II. *pag. m.* 396. ostendit, confer. B. *Dikherr. Disput. Academ. Part.* II. *pag. m.* 72. *Suicer. in Thesaur. Ecclesf. fol. m.* 1307. *Part.* I. *Martin de Roa in Singular. Guilielm. Struck. in Antiquit. Convival.* qui fuse. Hinc *Cinctus* simpliciter sine adjectione, qui ad militiam conscriptus, miles factus est. Anglice *One that is prickt for a Souldier, a trained Souldier.* vid. *Thom. de S. Quercu*, qui hoc cingulum absque ignominia non poterat perdere. vid. *Salmuth ad Panciroll.* Unde hoc cingulo Jacobitarum Sacerdotes Christianis Sacramento utentibus significare voluerunt, se cinctos esse, ut imposterum ut fortes milites adversus quosvis hostes pugnent, nec permittant, ut cingulum cum dedecore dissolvatur. Et huc respexisse videtur *Paulus*, quando *Ephesios* cap. VI. 14. monet his verbis: *State igitur lumbis circumcincti baltheo vel cingulo per veritatem, ut expeditiores sitis ad currendum pietatis stadium.*

A Sacro Cinguli usu.

(*r*) *Vo-*

Quod Cingulum Castitatis dicitur.

(r) *Vocant cingulum castitatis*] Seipsum explicat Autor, quando dicit, cingulum hoc esse signum & indicium castitatis, qua omnes Christiani esse debeant præditi. Tale cingulum ab Hieronymo *mortificationis* cingulum appellatur. vid. *Suicer. Thesaur. Eccles. part.* I. *fol. m.* 1310. Audiamus quoque *Chrysologum*, qui Sermon. XXII. elegantissime disserit his verbis: *Sint lumbi vestri præcincti; ibi præcingenda est virtus, ubi voluntas est comprimenda. Nescit vincere vitia corporis, virtutis cingulum qui deponit. Cincti ergo castitatis baltheo, quod est insigne militiæ Christianæ, fluxam carnis detruncemus ignaviam & regis nostri expectatione pervigiles insomnem somnium seculi nesciamus.* Simile quippiam reperimus apud Hebræos, qui cingulo utuntur, dicentes, referente celeber. *Braunio* pag. 399. *Oportere, ut coram Deo discrimen fieret inter cor & pudenda, cavendum præterea esse, ne cor inter orandum pudenda intueatur, ne in malas cogitationes incidat.* Tandem etiam credunt hac ratione se moneri, quod robore Dei accingantur, contra quoscunque inimicos mentis & corporis: ideo mane, dum sese baltheo accingunt, hanc precatiunculam deblaterare solent: *Laudatus sis tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui Israëlem robore cingis.* A Sanioribus tamen *Cingulum* adhibetur tanquam gulæ frænum, ut inde admonerentur à voluptatibus mundanis abstinendum, & sobrietate utendum esse.

CA-

CAPUT II.

De Coptorum Antiquitate.

HActenus quidem de nomine & origine Jacobitarum disseruimus, & quandoquidem à Patriarcha Jacobo eos probavimus oriundos, sequitur sane necessario, si de Antiquitate quæras, eos (*a*) longe præcessisse Salvatorem, ac Dominum nostrum Jesum Christum. Post vero ejus adventum (ut Ecclesiastica Historia narrat) à Divo Marco qui in Alexandria concionabatur, (*b*) ad fidem conversi sunt. Ubi vero (*c*) passus est Martyrium Marcus, cui ipsi adhæserant (*d*) acceptam ab eo fidem (*e*) per totam Alexandriam, Ægyptum, Lybiam, Nubiam, &c. In quibus regionibus hoc etiam tempore habitant, dispersérunt. Sed si de numero quæras, respondeo plures sane fuisse in Primitiva Ecclesia, antequam Turcarum Imperio & eorundem Barbariei subditi forent, & in eos Mahometani suam exercerent tyrannidem. Sed præter has regiones quæ Jacobitis, sive Coptis refertæ sunt, reperiuntur etiam nonnullæ aliæ, quæ iisdem non carent, quemadmodum (*f*) Æthiopia tota, & pars Insulæ Cypri, & ita quidem ut ipsos differre faciat Regio,

non

non autem Religio. (g) Alexandrinus enim Patriarcha (h) omnes supra allatas regiones in Spiritualibus regit, (i) dat ipsis Metropolitas & Episcopos, & ejusmodi homines: atque ipsis vicissim Jacobitis qui in urbe Cathedrali habitant, nefas est quenquam eligere, aut consecrare Patriarcham, nisi prius eorum sententiis & suffragiis approbatum: & de his quidem hactenus.

NOTÆ AD CAPUT II.

Antiquitas Jacobitarum.

(a) *Longe præcessisse Salvatorem*] Multa præsupposuit Autor in præcedentibus, quæ omnia veritati non sunt similia uti ostendimus. In hoc igitur capite de Jacobitarum antiquitate differens, affirmat, Sectam hanc longe Salvatorem præcessisse, cum ex Historia Ecclesiastica constet circa Seculum VI. ortam esse illam. Miramur itaque Autorem, quod tanta absurda defendere conetur. Omnes enim Sectæ, quæ ante Christum fuerunt inter Judæos celebres, à Scriptoribus diligenter sunt annotatæ, *Jacobitarum* autem nulla fit mentio. De tribus Judæorum Sectis, Pharisæis, Sadducæis & Essæis nihil jam dicemus, de quibus evolvendi sunt *Serar. Scaliger*, *Hornbeck*, *Cunæus*, *Sigonius*, *Goodwin* aliique Scriptores doctissimi. Præter has plures quoque inter Judæos tunc exstitisse patet, quæ non tam hæreses, quam variæ species idololatriæ dicendæ sunt; *Sadducæorum*, *Genistarum*, *Meristarum*, *Galilæornm*, *Græciensium*, *Pharisæorum* ac *Baptistarum* meminit *Justinus*. Addit eis *Eusebius*

Hé

Hemerobaptistas, *Masbathaos*, *Samaritas*, hisque iterum Epiphanius *Scribas*, *Nazaræos*, *Ossenos*, *Herodianos*, nec non *Philastrius de Hæres.* *Heliognostas*, *Musoritas*, *Trogloditas*, *Astarotas*, *Puteoritas*, *Belitas* addit. confer *Salden. Otia Theologic. exercit.* VIII. *pag. m.* 556. De omnibus his paucula quædam notabimus, & *primo* quidem *Astarothitæ*, qui *Astaroth* idolum *Sidoniorum* sacrificiis venerabantur, ut patet ex 1. *Reg.* XXIII. & propter hanc Idololatriam totum regnum Judaicum à *Nebucadnezare* eversum est. *Asthar* autem erat nomen Regis in *Ægypto*, ubi Reges pro Diis colebantur, ideoque *Ægyptii* vel *Syri* templa ipsis exstruebant, in quibus splendide sepeliebantur, inque Deorum numerum referebantur. *Astar* significat felicem & beatum. *Astaroth* autem divitias, uti bene explicat celeb. *Hillerus OO. LL. in hac Academia Professor*, *Fautor noster venerandus in dissert. Philist. exul. & Diis.* (2) Erant quoque *Molochitæ*, qui tabernaculum *Moloch* susceperant & (3) *Remphamnitæ*, qui idolum *Rempham*, cujus mentio est *Act.* VII. colebant. Erat quoque apud eos (4) hæresis dicta *Aratopheth* in valle *Himnon*, ubi *Judæi* suos infantes Diabolo immolabant. Hæresis orta est ab idolo Moloch & *Rempham*. *Moloch* fuisse putatur *Saturnus*: Nonnulli *Luciferum* vel *Hesperum* putant, quem nos hodie vocamus *Venerem*. *Venus* enim maxime solebat coli à *Saracenis*. Hanc Idololatriam didicerunt in captivitate Babylonica. (5) *Baalitæ*, qui Phœnices imitati idolum *Baal* effigiebant & adorabant, ex quibus erat Rex *Ahab* & *Jesabel*. *Baalitæ* igitur dicti sunt à *Belo*, qui fuit Rex *Tyriorum*. Hic subegerat piratas. *Phœnices* autem ut animum gratum osten-

Astarothitæ.

Molochitæ.

Baalitæ.

derent, erexerunt ſtatuam *Béli* vel *Baalis*. vid. *Alexandr. ab Alexandro*. (6) *Fortunatitæ* qui *Fortunam* vel *Reginam cœli*, quam cæleſtem vocant, libaminibus placabant. *Fortunatitæ* autem erant ii, in quos invehitur *Jeremias* & jubet, *ut abſiſtant à colendo hoc idolo*; ſed Judæi reſponderunt, *juxta hunc ſermonem* &c. Ratio colendi Fortunam erat, quod qui libamina libabant Reginæ cœli, magis honoribus & incrementis fuerint dotati, ideoque hanc rem adſcribebant Reginæ cœli. Compertum autem erat, quod hi, qui non affecerant honore ad extremam paupertatem redacti erant. Per *Reginam cœli* Hieronym. intelligit *Lunam*, quæ multum poteſt in corpora noſtra. vid. B. *Friſchmuth. diſput. de Regin. cœli*. Luna autem ut Fortuna mutabilis eſt. Unde à Græcis dicitur τυχὴ ἀείστρο i. e. æſtuans, quod fit in perpetuo motu. (7) *Heliognoſtici* qui more Perſarum vel Maſſagetarum Solem adorabant, eique equos & currus offerebant. *Heliognoſtici* ergo fuerunt Solem adorantes *Ezech.* VIII. 16. ubi Deus per viſionem introducit in atrium templi Prophetam, & ecce ibi videt XXV. viros qui omnes habebant *dorſa verſus templum*, & *facies verſus ortum*, i. e. religioſe ſalutabant Solem orientem. *Heliolatria* iſta fuit antiquiſſima & videtur fuiſſe tempore *Moſis* Deut. XVII. qui pœnam lapidationis inponit his, qui *Lunam* aut *Solem* adorant. (8) *Ophitæ* vel *Serpenticulæ* dicti à colubro ſeu ſerpente, qui ex ſpelunca evocatus ſacrificia lambebat, ideoque venerationi erat. De *Ophitis* vid. *Auguſt. l. de Hæreſ. c. 7.* Hi adorabant ſerpentem, quia putabant ſerpentem fuiſſe ipſum Chriſtum, qui dicatur autor boni & mali. Alii dicunt, hanc Sectam cœpiſſe ab æneo ſerpente, quem Moſes erexerat. Videntur hi ritus duraſſe

uſque

Fortunatitæ.

Heliognoſtici.

Ophitæ.

usque ad tempora Ezechiæ, qui audaci conatu infregit hunc serpentem. vide B. *Saubert* de æneo serpent. & Mœbi. volum. disput. Lipſ. edit. differentes: Nutriebant *Ophitæ* vivum serpentem, qui latebat sub altari in spelunca. Evocatus serpens adſcendebat in altare atque lambebat Sacrificia. Hoc facto in ſpeluncam redibat. vid. *Comment. Balduin. in 2. Cor.* II. 3. *Hieronymo Ophitæ* illi sunt, qui Evangelia laniarunt. Et hæc Secta fuit etiam inter Christianos. (9) *Hemerobaptistæ* qui & se & sua vestimenta quotidie abluebant, de his scribit *Petrus Crinitus*, quod putarint hominem cui chara sit Dei gratia vivere aliter non posse, quin quotidie semel adminimum in die se ablueret, & hoc putabant non tantum ad corporis sed & animi munditiem facere. Et ab his fluxerunt crebri illi baptiſmi, quos Pharizæi frequentarunt tempore Christi *Marc.* VII. (10) *Musoritæ*, qui mures colebant, cujus cultus occaſio 1. *Sam.* VI. refertur. *Philistæi* enim per vim sustulerant arcam fæderis; Satrapæ autem, qui maxima plaga à Deo afficiebantur consuluerunt Deos suos, ibi responderunt Sacerdotes, ut conficerent mures aureos pro delicto & offerrent Deo Israëlis: 1. *Sam.* VI. (11) *Muscaronitæ* dicebantur à *Musca* & *Acaron* civitate, in qua *muscam* vel Deum muscarum venerabantur, qui *Beelzebub.* vid. *Hoffmann tract. umb. in luce* qui fuse de hoc egit, prodiit *Jenæ* 1680. Ipſe *Ezechias* fuit talis Muscaronita. (12) *Puteonitæ* qui altos puteos fodiebant, conſecrabant, & aquam inde hauriebant, quam salutarem vocabant. De his dictum existimant nonnulli *Jerem.* II. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi lacus attritos, qui non possunt aquam salutarem ferre.* (13) *Ranatitæ*, qui Ægyptios secuti ra-

Hemerobaptistæ.

Musoritæ.

Mascaronitæ.

Puteonitæ.

Ranatitæ.

ranas thure & hostia propitiabant. (14) *Sethiani* vel ut à *Tertulliano* vocantur *lib. de hæres. Sethoitæ* nomen habent à *Seth* filio *Adami*, quem Judæi nonnulli religiose coluisse dicuntur apud *Augustin. lib. de hæres. c.* 19. Erant denique (15) *Troglodytæ* qui in abditis speluncis latebant & Sacris operabantur, horum mentio fit *Ezech.* VIII. Et hæ fuerunt Sectæ ante Christum. Nulla autem fit mentio *Sectæ Jacobitarum* quam longe præcessisse Salvatorem falso jactitat Autor.

Sethoitæ.

Troglodytæ.

(*b*) *Ad fidem conversi sunt*] Si igitur per *Marcum* ad fidem conversi Jacobitæ fuerunt in Christum, quomodo Autor dicere potest, quod diu ante Christum fuerint. Nam ante Christum Marcus Evangelium non prædicavit, & forsan etiam Alexandrini nihil de Christo noverunt; Hinc iterum elucet à Jacobo Patriarcha non descendere.

A divo Marco ad Christianam fidem conversi.

(*c*) *Passus Martyrium*] Confirmant hoc Scriptores gravissimi inter quos Anglus doctiss. *Eduard. Simson. in Chron. Cathol. part.* VII. ad ann. Christi LXIII. fol. m. 42. edit. Oxoniens. quando ita literis prodit: *Marcus Evangelista, qui Ecclesiam Christianam Alexandriæ in Ægypto fundavit, octavo Neronis anno obiit, eique successit* Anianus. *Euseb. Hist. Eccl. lib.* II. *cap.* 23. *Marcum* Martyrio fuisse coronatum aliqui tradidere. Consentientem hic habemus *David. Chytræum*, qui in *Onomastico Theolog. edit. Witteberg.* 1598. *pag. m.* 264. in hæc erumpit verba: *Postea Alexandriæ in Ægypto primus prædicatione Evangelii Ecclesiam Deo colligit, ubi tandem ab altari in carcerem abreptus, Spiritum Deo reddidit, anno Christi* LXVII. *Euseb. lib.* II. *cap.* 15, 16. *Item lib.* III. *cap.* 4. 39. & *lib.* VI. *cap.* 11. Adstipulantur his Æthiopes, qui die XXX. *April. Marci* mentionem faciunt in Calendario. Mariæ filium

Qui pro fide in Ægypto Martyrum subiit.

filium eum vocat Encomiastes, ejusdemque martyrium hoc loco describit, *quod funibus tractus fuerit tanquam taurus in bovile; cum tandem comburere voluerint eum, pluvia superveniens ignem extinxerit.* Refert quidem *Dorotheus Tyriorum* Episcopus, quod Evangelista *Marcus* sub regno *Trajani* in Alexandria urbe, rudenti collo injecta, à loco, qui Bucolus dicitur, usque ad eum, qui Angelorum nomen habet, tractus, ibique igni ab infamis simulacrorum cultoribus mense Aprili combustus sit. Ast hoc vero non videtur consentaneum, quod *Marcus* sub *Trajano* isthæc sustinuerit. Etenim ex Historicis tum veteribus tum recentioribus constat, quod jam ante anno Neronis octavo vel nono Marcus ille in vivis esse desierit. Vid. *Heidm. Compend. Histor. lib.* IV. *pag.* 104. *lin.* 5. *Alsted. in Chronol. cap.* 10. *pag.* 114. Sane inter octavum *Neronis* annum ac initium *Trajani* plus minus triginta intercedunt anni. Adde, quod historia Ecclesiastica pro comperto tradat, nullum præter Johannem Apostolum ac Evangelistam *Trajani* attigisse imperium. Existimat non nemo, corpus *Marci* Evangelistæ tempore *Trajani* à furente plebe monumento suo erutum, atque unco tractum esse ad locum Angelorum ibique crematum. Sed posito, minime interim concesso, quod post triginta & amplius annos defuncti, atque adeo sepulti etiam *Marci* corpori, hoc obtigerit, inde tamen non statim ipsi *Marco* viventi id est tribuendum. Ut ut vero sit, illud certe permulti & antiquiores & recentiores Historici æque ac Theologi affirmant, quod Evangelista *Marcus* martyrii corona donatus fuerit, ita *Eutychius Patriarcha in Annal. Alexandr. scriptis A. C.* DCCCLXXVI. & *Christopher. Heidmannus in Palæstin. cap.* VI. §. 18. *aliique.*

 (d) *Ac-*

Quam doctrinam à Divo Marco acceperint.

(*d*) *Acceptam ab eo fidem*] Sed quæ est illa fides, quam à *Marco* acceperunt? Extra omnem dubitationis aleam ponimus, quod *Marcus* veram fidem in Christum *Alexandrinos* docuerit, qua Christum verum Deum & hominem agnoverint, quam secuti sunt multi Episcopi, qui veram hanc fidem propagarunt; uti sunt *Anianus*, qui post *Marcum* ad dignitatem Episcopalem evectus est. Fuisse hic initio dicitur sutor, ad quem se contulerit, uti Eutychii Origines Eccles. referunt. De sutore hoc Alexandrino fusior est historia in veteri Marci vita autoris incerti cum Abdia Babylonio plerumque editi, quem sequitur Ordericus Vitalis in lib. II. Histor. Ecclesiasticæ, uti & Africus Archiepiscopus Cantuariensis in Sanctorum vitis Anglo-Saxonice, uti asserit Selden. in not. ad h. l. Addunt etiam *Origines Eccles. Alexandrinæ Eutychii* causam, ob quam ad fidem Christianam conversus, his verbis: فبينما مرقص يمشي في مدينة الاسكندرية اذ انقطع شسع نعله ۞ وجلس عند رجل اسكاف نعلة ۞ فاخذ حنانيا الاشفا ليثقب النعل فثقب به اصبع نفسه ۞ فسال منه دما كثيرا ۞ واوجعه وجعا شديدا ۞ فتبرم بمرقص فقال له مرقص ان انت امنت بيسوع المسيح ابن الله فان اصبعك تبرا ۞ واخذ مرقص اصبع حنانيا ۞ وقال بسم يسوع المسيح تبرا اصبعك ۞ فبريت اصبعه للوقت ۞ فانقطع الدم وامن حنانيا من ساعته بالمسيح وعمده مرقص

id est, *Dum autem per urbem incedit, diffringitur calcei ejus corrigia: quem ut reficeret, ad Sutorem se contulit nomine Hananiam, qui Subula* (codice Antiocheno; فاخذ النعل واخذ الاسفيا *& sumsit Hananias calceum & sumsit subulam*) *ad perforandum calceum sumta, digitum suum perforavit, adeo ut multum efflueret sanguinis, nec sine dolore ingenti. Submurmuranti igitur in Marcum, dixit ei ille, si credideris in Jesum Christum Filium Dei, digitus tuus sanabitur. Prebenso igitur digito ejus dixit, In nomine Jesu Christi sanus sit digitus tuus, qui eodem momento in sanitatem restitutus est, sanguine amplius non effluente. Et credidit ab eo tempore Hananias in Christum, unde baptizavit eum Marcus.* Postea vero à *Marco* ad Christianam fidem perductus & promotus est, adjunctis ei duodecim Presbyteris; Ita etiam *Eutychius in Origin. Alexandr. Eccles.* ubi cl. Selden. ex Codice Antiocheno pag. m. 14. addit: *Duodecim Presbyteris* &c. Anonymus, referente Seldeno, vitæ Marci vetus, ejusque sequaces, ut *Ordericus Vitalis*, *Africus*, alii, cum ajunt ordinasse Anianum seu Hananiam ibi *Episcopum & tres Presbyteros*, i. e. *Melium*; *Sabinum* & *Cerdonem & septem Diaconos, & alios undecim ad Ecclesiasticum ministerium pertinentes.* Rexit is Ecclesiam duos & viginti annos, ab anno nempe Neronis octavo, Christi vero LXII. usque ad annum *Domitiani* quartum Christi LXXXV. In hujus defuncti locum surrogatus fuit *Abilius* seu *Philetius* Episcopus tertius, qui præfuit sedi annos XIII. vid. *Selden. pag. m.* 5. Illumque (IV.) *Cerdo* sive *Gordius* est secutus, Ecclesiæque Alexandrinæ curam gessit ann. XI. Post hunc institutus fuit V. ejusdem Ecclesiæ Patriarcha, dictus *Primus* alias *Barmius*, qui sedit annos XII. sub

hoc magnæ contentiones Judæos inter & Gentiles ortæ prævalentibus tamen *Alexandriæ* Gentilibus. VI. fuit *Justinus* sive *Justus* habuitque inspectionem per annos X. VII. Alex. Episc. *Hymenæus* dictus est *Eutychio Eumenius*, *Petro* autem de *Natalibus Eumenides*, rexit Ecclesiam annos XIII. (VIII.) *Marcus* aliter *Marcianus*, sedens annos X. Hic Patriarcharum primus Episcopos in Ægypti ditione ordinasse dicitur. (IX.) est *Celadion* aliis *Clarius* nominatus, administravit Episcopatum XIV. annos. (X.) *Agrippinus* sive *Agrabius* annos XII. (XI.) *Julianus* annos X. (XII.) *Demetrius*, gubernans XLIII. annos. (XIII.) *Heraclas* annos XIII. sub hoc Episcopus Alexandrinus primum dictus fuit PAPA i. e. ut interpretantur, AVUS. fuit hic juxta Petrum de Natal. unus ex discipulis *Origenis*. (XIV.) Successit *Dionysius*, & officio Episcopali functus est annos XVII. etiam editis nonnullis scriptis inclaruit. Vid. Patrolog. *B. D. Gerhardi pag.* 177. aliorumque. Item *D. Quensted de patr. vir. Illustr. pag. m.* 633. (XV.) *Maximus* annos XVIII. (XVI.) præfuit *Theonas* annos XIX. quo præsidente Alexandria cum omni Ægypto, Duce & Autore *Achilleo* à Romana potestate descivit; sed octavo obsidionis mense à *Diocletiano* capta est, unde plurimi gravibus proscriptionibus vexati. (XVII.) vero Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus constitutus fuit quidam nomine *Petrus*, qui nono persecutionis anno Martyrio coronatus. Post hunc accessit (XVIII.) *Achilles* Episcopus per X. juxta alios VI. vel IX. annos. Postea (XIX.) Alexander annos X. Inde (XX.) advenit *Athanasius*. Atque ad hæc usque tempora *Alexandrina Ecclesia virgo* permansisse videtur, *Episcopi* quippe sedulo hactenus integritatem ac sinceritatem

tem doctrinæ cælestis ab Apostolis, præprimis *Marco Evangelista* fundatore sibi concreditæ, custodiverant.

An doctrinam illam fidemque per totam Alexandriam Ægyptumque disseminaverint.

(e) *Per totam Alexandriam &c.*] De Jacobitis loquitur Autor noster, quod fidem à Marco acceptam per Alexandriam, Ægyptum & Libyam & Nubiam disseminarint, quod verisimile haut videtur. Nam hi ex Schola *Severi* orti à *Marci* doctrina & fide aberrabant, & ut *Paulus Stockman in Elucidario hæres. pag. m.* 177. *edit. Lips.* refert, Christo unam tantum Naturam tribuebant. vel ut *Gebard van der Mealen de verit. Relig. Christian. pag. m.* 336. vult, quod duas naturas confuderint. Ita etiam cl. *Hottinger. in Histor. Orient. pag. m.* 345. ex Arabico Scriptore sequentia refert: *Jacobitæ Sectæ sunt Jacobi Syri, cognomento Baradæi, qui docuit, Messiam, super quo pax, unione factum esse naturam unam, unamque personam.* Ita sentiunt omnes Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores. Ut autem nobis constet de dogmate illorum, ex *Abulpharagio* Scriptore Arabico, quem in Latinum vertit cl. *Eduard Pocock. sub Dynast.* VII. *pag.* 148. proferemus: سويرس بطرك انطاكية وضع كتبا كثيرة في تصحيح القول بالطبيعة الواحدة من طبيعتي اللاهوت والناسوت بغير امتزاج ولا اختلاط وفساد بل مع بقايهما على ما كانتا عليه ككون طبيعة الانسان من طبيعتي النفس والبدن وطبيعة الجسم من طبيعتي الهيولى والصورة من غير انقلاب النفس بدنا ولا الهيولى صورة وبالعكس i. e. *Severus Patriar-*

cha Antiochenus libros nullos composuit ad adstruendam scientiam de natura una è naturis duabus divina & humana sive mixtione, aut corruptione, verum ita ut eo modo, quo fuerunt, manerent; sicut natura hominis duabus naturis animæ & corporis constat, & corpus duabus naturis materiæ & formæ; ita ut nec anima in corpus mutetur, nec materia in formam, vel contra. Quæ ipsissima hodiernorum *Jacobitarum* est sententia, quam alibi apud Scriptores nostros tam dilucide non reperimus, cum tamen fundamentum sit Sectæ Jacobitarum, quæ ceu eadem cum Eutychianismo à veteribus & recentioribus Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus proponitur, quæ stare nequit, si *Eutyches* naturas in Christo confudit & commiscuit. conf. *B. Ludolf. annot. fol. m. 462.*

Jacobitæ sive Copti in Æthiopia tota.

(*f*) *Æthiopia tota*] Agnoscunt Æthiopes JACOBITARUM nomen qui Alexandrinam Religionem profitentur, seipsos Jacobitas vocantes, ut ex epistola Regis *Af-Saphedi* ad Gubernatorem Generalem Hollandorum Indiæ, quam exarari curavit celeber. *Jobus Ludolf.* in annot. ad *Hist. Æthiop. fol. m. 244. num.* XXXVI. his verbis: *In nomine Dei misericordis & miseratoris. Epistola missa ab excellentissimo Rege, magno Principe, Rege diversorum populorum, ob fortitudinem, virtutem ac benignitatem celebri & nexu dignitatum principalium clarissimo, cujus status gloriosus & pollens, imperiumque amplum & inclytum est, pro gloria* ECCLESIÆ JACOBITARUM; *& defensione Religionis Christianæ, à Rege* AF-SAGHEDO *filio* Sultani ALEM-SAGHEDI. *Hic Æthiopum Rex se* JACOBITAM *appellat, ut & Negus Æthiopiæ in Historiis Arabum sæpissime* REX JACOBITARUM *vocatur, ut* Eduard Brerewod *bene obser-*

servavit in scrutinio Religion. Quem immerito sugillat *cldr. Hottinger. in Topograph. Eccles. c.* V. §. 2. *pag.* 127. incaute nimis scribens: *Regem Æthiopum* JACOBITARUM *Regem appellari, non tam ratione dogmatum Jacobitarum, quam familiæ seu sanguinis* Israëlitici *seu* Jacobæi, *à quo ortum ex linea fœminea ipsi deducant.* Quæ vanissima sunt.

(g) *Alexandrinus Patriarcha*] Cum Patriarchæ hic mentio fiat & nobis occasio detur paulo uberius de Patriarchis differendi, operæ pretium esse duximus, hanc nobilem doctrinam in Antiquitatibus Ecclesiasticis Utilissimam tractare, & quidem de nomine Patriarchæ; putamus & Judæis & Christianis esse singulare, neque apud Paganos in dignitatibus suis compertum. Tametsi nescimus, unde deceptus Baronius asserat, apud *Herodotum* Patriarchas dictos Ægyptiis veteribus, eos, qui in Sacris principem locum tenebant. Nihil apud Herodotum ejusmodi legitur. Quanquam, velut in *Baronii* verba juratus *Severinus Binius*, idem ipsum secure repetat in notis ad Epistolam secundam *Stephani Papæ* primi. Quin & Isaac *Casaubonus Gamalielem Patriarcham Marcello Empirico* sic dictum, de dignitate Pagana intelligit. Sed nomen ipsum satis refragari videtur. Nam & Gamaliëlum Patriarcham Judæis scimus sub ævum *Marcelli* fuisse. Quod satis elicitur ex *Epiphanii* loco & *l.* XXI. *Codic. Theodos. lib.* XVI. *tit.* 8. Sæpe numero occurrunt in lingua Prophetarum ראשי אבות capita Patrum, seu Principes familiarum, quorum vicem plerumque apud Interpretes Græcos obtinent *ἄρχοντες τῶν πατριῶν Principes Familiarum* seu *cognationum.* vid. *Samuel. Basnag. Exercitat. Histor. Critic. in Annales Baron. pag. m.* 280. *seqq. edit. Ultraject.* 1692.

Pertinent omnes ad regimen Patriarchæ Alexandrini.

1692., qui pluribus verbis de his disserit. Interdum enim (ut in 1. *Par.* VIII. 28.) vocabulum hoc unicum, πατριάρχαι habetur, unde & Judæis in usu erat, atque etiam in *Actis Apostolorum* & *Epistola ad Hebræos* usurpatur, & in *Vulgata* retinetur. Stante autem Republ. Hebræa, palam est ex eorum Pandectis, non Magistratus aut Jurisdictionis nomen hoc fuisse, sed tantum Dignitatis ac Eminentiæ, quæ reverentiam reconciliaret. Utcunque postmodum inter Judæos se res aliter habuerit, quod ex utriusque *Codicis titulo de Judæis l.* XIV. vid. *Samuel Basnag. pag. m.* 283. est eliciendum. Sed illinc dubitari nequit, quin Patriarchæ vocabulum sibi sumserint Christiani veteres. Etenim simplici Episcopi nomine ex varia Græcorum item & Latinorum usu arreptum (quod scimus ex Aristophane ejusque in Aves Scholiaste, aliisque Scriptoribus Græcis, Cicerone ad *Atticum lib.* VII. *epist.* X. & *Arcad. in Pandect. l.* VIII. tit. de muneib. & honorib. Hierarchiæ ubi Episcopi dicuntur ex veterum usu qui præsunt pani & cæteris venalibus rebus, quæ civitatum populis ad quotidianum victum usui sunt, seu Ædiles Cereales) simplici, inquimus, eo nomine inspectionem seu procurationem quemadmodum Ebræi [illegible] Inspectoris seu speculatoris aut *Episcopi* Synagogæ nomine, contradictiorem seu angustiorem denotabant. Patriarchæ autem voce Episcopi seu Antistites quam plurimas & diffusiores Ecclesias, earumque membra cognatione seu fraternitate Christiana conjuncta, ut summi parentis pascentis & curantis amplitudinem designabant & reverentiam summam. *Syri* & *Arabes* post *Hebræos* intelligunt, quasi *patrem summum* aut simpliciter *patrem* interpreteris. Unde in

Actis

Actis Apostolorum cap. II. 29. pro Patriarcha substituitur אבהתא רישׁ pater Patrum & راس الابا idem sonans, & *cap.* VII. 8, 9. אֲבָהָתָן & ابونا Patres nostri, pro Patriarchis. Vocabulum autem quo usus est *Eutychius* occurrit non raro apud Gregor. Elmacin. pro Patriarcha, id est, البطريرك è Græco palam est in Arabicum tantum deformatum. Pro *primo patrum*, seu inter patres primo seu Principe sumitur; ac sic verti solet, velut *Primati* item Synonym. Cæterum cum veritate non congruunt, quæ *Eutych. in Annal. Alex. Tom.* I, *pag.* 334. habet: *Cum homines audirent, quod Episcopi compellarent* البطريرك ابا *Patriarcham Abba seu patrem, dixerunt inter se, si nos solemus Episcopum appellare Abba seu Patrem, Episcopi & ipsi Patriarcham* ابا *Abba appellant, utique decet nos, ut vocemus* البطريرك بابا *Patriarcham Papam i. e. Avum, cum sit pater patrum. Itaque appellatus fuit Patriarcha Alexandrinus à tempore Heraclii* بابا *PAPA i. e. Avus.* Sed hæc ratiocinatio nobis vana videtur. Quippe Arabicum بابا nihil aliud est, quam Græcum πάππας pater, quod Arabes ob defectum P. aliter pronunciare non possunt ac *Baba* quam vocem *Eutychius* exponit جدي *Avum.*

(*b*) *Omnes supra allatas Regiones —— regit*] Scil. *Alexandriam Ægyptum, Lybiam, Nubiam.* Hoc confirmat *Canon Nicæn. Sextus* de quo multæ lites concitæ; τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει. Ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν ἐπειδὴ καὶ τῷ Ῥωμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν; Quæ verba Dionysius Exiguus ita vertit Latine: *Antiqua consuetudo* Magnum ejus Patriarchæ Regimen.

do servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolin, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & urbis Romanæ Episcopo parilis mos est. Voluit Canon indicare eandem potestatem esse Patriarchæ Alexandrino, quam Romano, licet quidam id negare velint, quorum opiniones accurate refutavit cl. *Samuel Basnag. in Exercitat. Histor-Crit. in Baron. Annales pag. m.* 304, 305. *seqq. usque* 320. Recta & vera igitur Canonis expositio Alexandrinum debere gubernare illas Provincias, quia Romanus Episcopus ita consuevit. Non autem ut Bellarminus lib. II. c. 13. de Pontific. Rom. explicat, *quia Romanus Episcopus consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libyæ & Pentapolis; sive consuevit per Episcopum Alexandrinum illas Provincias gubernare.* Sed quid garris in aurem nobis Bellarmine de potestate Episcopo seu Patriarchæ Alexandrino permissa à tuo Pontifice. Absurda est explicatio, quia evertit instituta Concilii, caventis, ne *duo* sint una in civitate Episcopi. Pugnat cum monumentis Ecclesiastic. Vim verborum funditus delet: *ut horum omnium potestatem habeat Alexandrinus Episcopus, quia Episcopus Romæ hoc in more positum habet*; quæ obtorto collo eo trahuntur, ut significent à Romano Episcopo concessam fuisse Alexandrino potestatem peragendi sui muneris nomine Papæ. Denique fingit, quod Episcopo Alexandrino Romanus permiserit regimen Ægypti quasi inconsulto Papa Alexandrinus à Clero suo non eligeretur.

Metropolitæ Jacobitarum ab illo constituuntur.

(*i*) *Dat ipsis Metropolitas*] Cum Patriarchæ sint illi, qui plurimas Metropolitanas Provincias subjectas habent, merito hic quæritur, An Patriarcha Alexandrinus Metropolitanos habuerit, quibus præfuerit? Nullos autem Nicænis temporibus

ribus apud Ægyptum fuisse Metropolitanos eo apparet, quod creandorum & Presbyterorum & Episcoporum omnium facultas soli Episcopo Alexandrino competeret; Ita *Petrus de Marca*, *Valesius*, *Antonius Pagi*, *Schelstratus & alii* referente cl. *Samuel. Basnag. in Exercitat. pag. m.* 307. Verum nostram opinionem confirmamus ex *Epiphan. hær.* 68. *n.* 1. τῦτο γὰρ ἔθος ἐςὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Ἀρχιεπίσκοπον πάσης τε Αἰγύπτε καὶ Θηβαΐδος, Μαρεώτε τε καὶ Λιβύης, Ἀμμονιακῆς, Μαρεώτιδός τε καὶ Πενταπόλεως ἔχειν τ̀ Ἐκκλησιαςικὴν διοίκησιν: *hic enim mos est Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Ægyptum ac Thebaidem, Mareotidem, & Pentapolin Ecclesiastica negotia administrent.* Monendum autem in his verbis venit, quod error sit, quando geminata Mareotis vix ponitur. Legendum potius Μαρμαρίδος, cujus meminit Strabo lib. XVII. Hæc ergo Alexandrini Episcopi Autoritas omnem dignitatem Metropolitanorum extinguebat. Si enim in suo Episcopatu moris fuerit *Alexandrino* Pontifici ubique terrarum Ecclesiastica negotia administrare, itaque & Episcopos Presbyterosque Metropolitanas creare & ordinare; quæ ad præcipuam functionum Ecclesiasticarum partem pertinent. Jura etenim & potestas Patriarcharum quadruplex erat. Prima consistebat in *ordinandis Metropolitanis*; secunda circa ordinandos simplices Episcopos. Tertia in corrigendis Metropolitanis; quarta in convocanda Synodo. vid. *B. P. Hildebrandi lib. de Hierarchia Veter. Eccles. pag. m.* 37, 38. *edit. Helmstad.* Curandæ tantæ Provinciæ sibi impositæ Præsul Alexandrinus suffectis quoque utebatur. Præterea Alexandrino Patriarchæ jus creandorum Metrapolitanorum competere, ex contumacia Meletiana satis ostenditur, cum in munus Alexan-

drini

drini Episcopi invadens ubique Clericos ordinaret. Καὶ καθ' ἕκαστον τόπον διερχόμενος καθίστη κληρικοὺς, ἐπισκόπους τε καὶ Πρεσβυτέρους, καὶ Διακόνους, quemcunque locum peragraret, ibi *Clericos*, *Episcopos*, *Presbyteros*, *Diaconos* instituit. Denique hac potestate præditum fuisse Patriarcham seu Pontificem Alexandrinum vincit Epistola Nicænorum Synodica de Clericis à *Meletio* ordinatis: Quod si quempiam eorum, qui in defuncti locum atque honorem provehantur ii, qui nuper adsciti sunt, modo populus eos eligat, suffragante nihilominus, plebis judicium confirmante, Alexandrinæ urbis Episcopo. *Theodor. lib.* I. *cap.* 9. Autoritatem Patriarchæ Alexandrini magnam & splendidiora jura fuisse Præsulis Alexandrini, quam Romani, probavit testim. cl. *Samuel Basnag. in Exercitat. Historico-Critic. pag. m.* 314, 315, 316.

CAPUT III.

(*a*) *De Regimine eorum Spirituali.*

SAtis hactenus (ut videtur) de Jacobitarum nomine & origine disseruimus; jam agendum de Regimine, & foro Spirituali. Sed antequam rem aggrediar, prius te monitum volo, (*b*) Coptos eadem libertate non ubique frui. Qui enim à Mahometanorum, sive Ethnicorum jure simul & injuria tuti sunt, majori libertate donantur in Ecclesiæ regimine, & tali quidem quali utuntur Papicolæ & Græci, ut multi nar-

rant

rant Historiographi. Qui vero in Ægypto, Libya, Nubia, Thebaide, &c. habitant, & Turcarum (*c*) Tyrannidem ferre coguntur, jussaque Barbari Imperatoris adimplere, tam liberi sane non sunt. Jam vero quomodo regantur in spiritualibus paucis, ac breviter expediemus.

Apud Jacobitas (*d*) summa est Patriarchæ, quem vocant, dignitas. (*e*) Potestatem vero sumit à Prorege, sive Bacha, (*f*) qui Ægypto Imperatoris vice præest. (*g*) Munus itaque ejus est in Christianos potestatem suam (in spiritualibus scilicet) exercere. Verbi gratia, si Jacobita aliquis (*h*) Græcorum religionem, (*i*) Papistarum, Armeniorum amplectatur, propria derelicta, tunc potest, imo debet illum in jus vocare. (*k*) Si vero Mahometanus factus fuerit, tunc non potest: sunt enim illi rerum Domini, nec licet Christianis reluctari adversus eos quibus inserviunt. At si in illis regionibus degat quæ Turcis minime parent, veluti in Æthiopia, potest eum vocare, & rationem exposcere quare à religione discesserit, vel sane (*l*) anathemate ferire. Sed raro fit hoc hisce temporibus; timet enim Patriarcha ne, qui fuerit in tali periculo Mahometanus fiat, ubi nulla est salus, non enim curant illi (*m*) salvari in Christo & per Christum. Et hoc tantum juris nunc possidet. Porro securus

non

non est de iis quæ ad Ecclesiam pertinent; cujusmodi sunt (*n*) primitiæ, decimæ, (*o*) feoda pro matrimoniis, item Elemosynæ quas Christiani in lecto decumbentes, ac morti proximi impertiuntur, aut impertiendas relinquunt; item ea quæ solent dari iis qui recipiunt Sacramenta, scilicet S. Ordines, Confirmationem, &c. de his enim nullam potest movere Controversiam cum subditis. Si possint aliquid dare, ac quod constitutum est perficere necne, non multum interest: expectare debet (*p*) morum liberalitatem, seu charitatem. Atqui hoc quidem de Spirituali Regimine quo ii quibus Turcæ imperant utuntur.

NOTÆ AD CAPUT III.

Regimen Jacobitarum Spirituale.

(*a*) *De regimine Spirituali*] Alias hoc regimen vocatur politia Ecclesiastica, & vocabulum politiæ ex politicis in Ecclesiam est transumptum termino idem dicente, quod Latinum regimen civitatis. Quin ipse Spiritus S. in Scripturis N. T. Spiritualibus & Sacris voces πόλις, πολίτης, πολίτευμα πολιτεία accommodat Hebr. XI. 10. XII. 22. Act. XXIII. 1. Hinc illa κατὰ τὸν Θεὸν καὶ τὸ Εὐαγγέλιον πολιτεία toties apud Basilium in Asceticis commendata, quæ mox per ampliationem & dirigendi vel administrandi circa imperium modum significat. Cum autem administratio multiplex, prout scil. vel Objectum vel modi administrandi variant, idcirco vox Ecclesiastica re-

ſtringit politiam, & quaſi ad certam ſpeciem aut partem determinat ipſum Objectum ſignificando, ſimulque modum quem ſubjecti conditio permittit & requirit connotando, ut loquitur *B. Gebhard Theodor. Meier* in ſuo de hodierno ſtatu religionis & politiæ Eccleſ. in ſingul. Rebus publ. libr. cap. III. præf. §. 1. Tria autem oppoſito nomine Eccleſiaſtica connotantur (1) ipſa Sacra & quæ Sacris accidunt, ritus, ceremoniæ & varia inſtituta Sacrorum religionem ſeu cultum ad diſciplinam promoventia. (2) Perſonæ Sacris aut iis, quæ illis accidunt peculiariter deſervientes, harumque mores & actiones. (3) *Bona Eccleſiaſtica* tam mobilia, quam immobilia. Omne quod circa hæc occupatur regimen vel adminiſtratio Politia audit & quidem cum appoſito Eccleſiaſtica.

(*b*) *Coptos eadem libertate non frui*] In his & ſequentibus verbis Autor noſter deſcribit Politiæ Eccleſiaſticæ adminiſtrationem, & dicit, quod *Copti* ſeu *Chriſtiani* Imperio Turcico non ſubjecti libertate majori fruantur, quam illi, qui Turcico jugo ſubjecti ſint. Qui priori modo vivunt, omnia Sacra liberius peragunt & jura Eccleſiaſtica exercent. Contra poſterioris generis Chriſtiani ſtrictiore libertate & limitata vivunt, & tantum in Eccleſiaſticis agunt, quantum à Majeſtate Turcica ipſis conceditur, ubi liberi ſunt, Eccleſiaſtica ſine impedimento exercere poſſunt; ſed ubi ejuſmodi libertas ipſis adempta, ad mandatum ſuperioritatis vivere coguntur.

Non ubique in Ægypto pari fruuntur libertate.

(*c*) *Tyrannidem ferre coguntur*] Neque tamen tot tantisque calamitatibus Eccleſia illa Coptica ſeu Jacobitica preſſa, collum Pontificis Romani jugo ſubmittere, è re ſua putavit. Quod enim Baronius refert, COPTORUM Patriarcham

Tyrann. de Mahometanorum in multis regionibus preſſi.

Legatos Romam misisse ad Clementem VIII. P. R. qui ad pedes Pontificis prostrati auxilium implorarint, illumque caput Ecclesiæ agnoverint: id sane à multis viris doctis & gravibus in dubium vocatur. Evolvantur *B. D. Calixtus de visibili Ecclesiæ Monarchia. Brerewod in Scrutin. Relig. cap. 13. edit. Francof. 1679. pag. m.* 109. qui expresse refert, quod hi Ecclesiam Romanam hæreseos accusent, ideoque communionem Latinorum non minus quam Judæorum vetent. Succurrere quidem rei desperatæ annititur *Nibisius*: sed opponimus ei testimonium Jesuitæ fide digni *Athanasii Kircheri in Prodrom. Copto* cap. II. pag. m. 37. ubi diserte profitetur, COPTITAS præter Alexandrinum Episcopum, Pontificem sive Patriarcham neminem alium agnoscere Ecclesiæ præsidem.

Summa apud eos Patriarchæ dignitas.

(*d*) *Summa Patriarchæ dignitas*] *Jacobitæ Patriarcham* summa dignitate ornatum judicabant ab Ecclesia, cui præerat, Alexandrina, quam a Marco Evangelista fundatam asserunt. Jus enim Exarchatus Alexandrini Episcopi, per Ægyptum Libyam & Pentapolim Chalcedonenses Patres confirmarunt, atque tertium Patriarchalis eminentiæ locum ipsi adjudicarunt. Hinc passim apud Scriptores hoc titulo celebratur Πάπας καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, καὶ τρίτης τῆς οἰκουμένης. vid. *B. Calixti Apparat.* Observandum ergo, quod in universa Ecclesia primis seculis tres cathedræ fuerint, quæ præ cæteris omnibus eminuerint, *Romana*, *Alexandrina* & *Antiochena*. conf. B. *Hildebrand. tr. de Hierarchia.* Patet etiam dignitas ex nomine Patriarcha, cujus posteriores Syllabæ non imperandi potestatem, sed dignitatem tantum & Eminentiam significant Sacram, quemadmodum similis terminatio ferme inter veteres,

in

in *Bithynarcha*, *Syriarcha*, *Lyciarcha*, *Cappadocarcha*, id genus aliis, quorum nomina (ut ajunt Honorius & Theodosius) votiva festivitatis solennia dedicavit, seu ad Sacra spectavit edenda munera. *Vid. C. Theodos. lib.* XV. *tit.* 9. *de expens. Ludor. l.* II. Quo pertinent etiam *οἱ 'Ασιάρχαι in Act. Apostol. c.* XIX. 31. qui Principes Asiæ in versionibus, seu ut in *Gallica Asiarques* nuncupantur. Ii enim Sacerdotes Asiæ, aut Sacris Præfecti. Consulas *Dionys. Gothofred. ad l.* VIII. *D. tit. de vocatione & excusatione munerum* & *Guid. Panciroll. in notit. Imper. Oriental. cap.* 105. Omnis igitur Dignitas Patriarchalis non in jure divino sed mere humano positivo & Ecclesiastico fundatur in dignitate urbium, quibus præsunt. Non Petri institutio sed eminentia urbis causa est, quod dignitas hujus, alterius dignitatem & potestatem superet. Testimonio suo hoc probat *Clemens in epist. ad Jacobum* inquiens: *In illis vero civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos Archiflamines eorum atque primi legis Doctores erant Episcoporum Primates poni, vel Patriarchæ, qui reliquorum Episcoporum judicia & majora, quoties necesse foret, negotia in fide agitarent.* Non alia fuit mens *Cypriano.* confer. celeb. *Samuel. Basnag. Exercitat. historico-Critic. ad Annal. Baronii p.m.* 298.

(*e*) *Potestatem accipit*] A magistratu civili, qui solo Deo minor est. Hic potestatem habet constituendi Patriarcham Jacobitarum. In Ecclesiasticis enim seu Sacris quædam non nisi cum Imperio, quædam absque Imperio recte curari & administrari volunt Eruditi. Licet igitur Pro-Rex Ægypti sit Ethnicus seu Muhammeda, attamen idem exercet jus & potestatem, qualem hodie Principes vel Reges exercere solent in constituendis Episcopis. Debet itaque civilis

A quo is potestatem suam accipiat.

Majestas (1) Religionem introducere, introdu-ctam conservare ejusque publicum exercitium præcipere. (2) Sacris idoneas personas constituere & confirmare, ut hi cum authoritate doceant, & agenda agant. (3) Bona si quæ in Sacrum usum collata, aut conferuntur ejus eminenti Dominio subjecta remaneant. In his tribus occupatur *administratio Sacrorum Imperativa*, qua gaudet quælibet Majestas in sua Republ. & hujus analoga, Superioritas Territorialis, quæ constituit Respubl. conf. B *Gebhard Theodor. Meieri diss. de polit. Eccles.* Hæc omnia *Bacha* seu Pro-Rex Ægypti exercet, permittit & concedit *Jacobitis* Patriarcham, & postmodum dat ipsi potestatem exercendi Religionem & authoritatem docendi, quam potestatem acceptam deinde Patriarcha exercet in alios sibi subjectos.

Videlicet a Pro-rege Ægypti.

(*f*) *Qui Ægypto*] Ut ut Ægyptus Turcici Tyranni Imperio hodie subsit liberum tamen religionis Christianæ exercitium Coptitis (Jacobitis) tam *Alexandriæ* quam *Alcairi*, quam Selynus Ægypti Sultanus *Tomumbejo* surripuit *Anno Christi* MDXVIII. *vid. Leunclav. Chron. Turc. Germ. pag.* 40. concessit. Quo tempore vero præcise Patriarcha sedem suam Alexandria *Cairum* transtulerit, non adeo certum est. Causa vero cur *Cairum* se Coptitarum Patriarcha contulerit hæc est, quia Turcarum supremus in Ægypto Bassa ibidem residet, apud quem Christianorum causa haut raro agenda.

Munus Patriarchæ.

(*g*) *Munus ipsius*]. Asserit Autor munus Patriarchæ Jacobitarum esse curam habere rerum Sacrarum, quæ consistunt in illis. (1) Verbum Dei docere (2) administrare Sacramenta; quo referri potest manuum impositio sive ad ordinationem sive ad aliam benedictionem, sive ad quem-

cun-

cunque alium actum Sacrum, qui id requirit. (3) Ligare & solvere, quo pertinet censura morum, corrigendi corripiendique potestas. His tribus quoque instructus est Patriarcha Jacobitarum. Nam duo priora sine limitatione exercere potest, posterius autem cum limitatione aliqua, quam rationem Autor addit.

Is deficientes a religione sua in jus vocat.

(*b*) *Græcorum religionem &c.*] Si Jacobita aliquis religionem Græcorum amplexus fuerit, tunc Patriarcha eum in jus vocat, & rationem exposcit, quare discesserit; Hinc patet, quod *Jacobitæ* Græcorum religioni non fuerint addicti. Nam *Coptitæ* Græcos ob persecutiones illatas nimis fuerunt aversati, eo quod ob errores hi illos vehementer persequebantur. Per *Græcos* autem hic intelligit Autor MELCHITAS qui Religionem Græcorum in totum sequuntur iisque communicant. vid *Villam. en Voyag. l.* II. *c.* 22. *Brerewod Scrut. Relig. pag. m.* 77. *edit. Francof.* infensissimique hostes Jacobitarum sunt, uti pluribus refert. B. *Jobus Ludolphus fol. m.* 466. ubi ita ex *Petri Heyling* Epistola ad *Grotium* scripta differit: *Populi Græci* (Melchitæ) *atque Ægyptii* (Jacobitæ) *neuter alterius templa antiquitus constructa ingreditur, ob odium contractum & indelebile.*

Si videlicet transeant ad Papisticam vel Armeniacam.

(*i*) *Papistarum, Armeniorum*] Hi quoque in jus vocari possunt, si à Jacobitis discesserint. Ex quibus iterum clare patet, Jacobitas Armenos & Papistas aversari. Quare concludimus quasdam controversias inter hos & illos esse.

Non vero, si amplectatur religionem Mahometanam.

(*k*) *Mahometanus factus*] Sed quomodo hoc fiat *Golius p.* 1319. indicat. Fit autem transitus ille, quando circunciduntur Muhammedani, ubi erecto pollice hæc verba recitant لا اله الا الله محمد رسول الله *Non est Deus, nisi verus ille Deus, Muhamed est Apostolus Dei.* Et

ita publicum suæ confessionis testimonium edunt. Si igitur quis ex Christianis sua sponte ad Muhammedanos transit & circumcidi se patitur, gaudio magno ubique excipitur. vid. annot. *Henning. Hening. not. ad Muhammed. preçant. pag. m.* 159, 160. & ita Patriarcha hunc in jus vocare nequit.

Sed si degat extra Imp. Mahom. Anathemate ferire potest.

(*l*) *Anathemate ferire*] De anathemate seu Excommunicatione multa collegit cl. *Selden. in lib. de Synedriis Hebræorum.* Hi in primitiva Ecclesia ἀναθέματα vocabantur, ut scil. ab Ecclesia abscissi in solidum sint. Quo sensu illud Apostoli intelligendum : *Qui non diligit Dominum Jesum anathema sit, qua formula anathematis excommunicatio intelligitur major, qua homo non tantum ab usu Ecclesiæ & à Sanctis conventibus, sed ab omni fidelium consortio excluditur & clypeo precum Ecclesiæ & omnium Christi beneficiorum destituitur, & cum anima & corpore in potestatem Satanæ totus conceditur.*

Quid Mahometani de Christo sentiant.

(*m*) *Salvari in Christo*] Muhammedani quidem multa de Christo garriunt, quod scil. sit Propheta vel Apostolus. Quando ergo Turca, Judæus aut Christianus blasphemat Christum, ille punitur non secus ac si Muhammedem blasphemasset, Pœna vero blasphemiæ apud Turcas sunt L. ictus fustium, & mulcta pecuniaria teste Geufræo in descript. Aulæ Turc. p. 49. part. 1. Deum autem fuisse Christum negant, id quod multis argumentis refutavit *Cantacuzen. in Apolog. pro fide Christiana contra doctrinam Turcic. p. 2. seqq.* Ut autem sciamus quid Turcæ de Christo sentiant, ex *Hottingero histor. Eccles. p. 399. seq. Tom. 1.* recensebimus, qui ex Arabicis Scriptoribus ita differit; *Christum, dicunt, esse verbum Dei à B. Virgine sine patre natum, magnumque mundi Prophetam, sine*

sine peccati labe vixisse, multisque miraculis claruisse, non crucifixum, sed Judam proditorem, Christum quæsiturum, captum & sub Christi specie in crucem esse actum, Christo interim per tectum elapso & in cælum sublato. Cum quo confer. *Sion de Relig. Oriental. pag. 52. Hotting. p. 105. histor. Orient.* Qui igitur non credit in Christum & ejus meritum fide vera applicat, ille salvus fieri nequit, quia extra Christum nulla salus.

(*n*) *Primitiæ & decimæ*] Primitas & decimas ad Ecclesiam pertinere extra omnem dubitationis aleam ponitur, quippe à Deo ipso in hunc usum ordinatæ, ut cedant in commodum Sacerdotum & Levitarum. Has Hebræi ראשית, Græci ἀπαρχὰς vocant. Imo Gentiles ipsi primitias frugum atque pecorum Diis suis gratitudinis suæ erga ipsos testificandæ gratia offerebant, quarum pars cedebat in usum Sacrificantium. Quis igitur negaret, has non pertinere ad Ecclesiam? Sed audiamus Scripturam Sacram, quæ multoties inculcat, ut primitiæ Ecclesiæ dentur. vid. Exod. XXII. 29. XXIII. 19. Deut. XXVI. 2. Exod. XIII. Deut. XV. 9. confer. *Quensted. antiquit. Bibl. pag. m. 248. B. Frischmuth. diss. de primitiis, R. Mosis Maimon. constitut. de primit.* edit. à Johanne Rodolpho Cramero Lugd. 1702. ubi plurima lectu dignissima occurrunt. Jure igitur Patriarcha Jacobitarum curam primitiarum & Decimarum habere deberet & à subditis poscere posset; Verum Status sub imperio Turcico ita comparatus, ut securus de primitiis & decimis esse non possit. Ita Autor noster. Consentientem hic habemus cl. *Johannem Ulricum Wildium* qui in dissertat. de Ecclesf. Æthiopica edit. Argentorat. 1664. *pag. m. 21. ex Zag. Zab. pag.* 507. hæc retulit: *Præterea Presbyteri & Monachi*

Primitiæ, Decimæ &c.

& omnes Ecclesiæ ministri, apud nos suo labore vivunt. Quippe Ecclesia nullas habet decimas, nec accipit, habet tamen proventus & agros, quos ipsi Clerici & Monachi fodiunt aut sua aut aliena opera colunt. Verum hic nobis scrupulus movetur; qui fieri possit, ut cum Patriarchæ inter quos & Patriarcha *Jacobitarum* comprehenditur, quotannis Sultano aliquot millia Ducatorum solvere teneantur, tantam summam persolvere possint, si primitias non postulare nec de iis securi esse possint. Et licet hortos, agros & vineas possideant, vix inde tanta pecuniæ summa lucrari poterint. Sed respondemus ad hanc objectionem, quod licet primitias & decimas non habeant; attamen de Ecclesiarum suarum collectis, qua quotannis Patriarchæ certam summam pendunt, solvere teneantur. vid. *Martin. Crusii Turco-Græc. edit. Basil. fol. m.* 487.

Feoda pro matrimoniis quid sint.

(o) *Feoda pro matrimoniis*] Unde vox *Feudi*, sive *Fœdi* aut *Feodi* originem trahat, disquiritur. Isidorus à fædere deducit, cujus rationem hanc reddit *Spiegelius* ad *Guntherum*. Quoniam in solis fæderibus forma fidelitatis ultro & citro constet. At Obertus de Orto asserit: Feudum à fide vel fidelitate dici; quod *Cujacius* quoque rectius putat. Magis ingeniosam originem offert *Bodinus de Republ. l.* I. *c.* 9. ubi à fide præstanda feuda vocitata vult: hinc enim, ut ait, F. E. D. U. M. dici videtur, quod qui fidem daret, his verbis utebatur: FIDELIS ERO DOMINO VERO MEO; contractis autem dictionibus in literas, Feudi appellationem traxerunt. Sed falli summos viros manifestum est, cum feudum non à voce Latina, sed à Gothica arcessendum sit, uti *Vossius* & *Loccenius* bene admonuerunt. Itaque erit à Gothico fôde vel fôda *alere*, quasi pro ali-

men-

mentis datus ager; vel a *frida* bello: vel à fr/ sâbona, & *od* vel ðð possessio, ut possessio fiduciaria esset. Tenebantur itaque ii qui matrimonium contrahebant aliquid pecuniæ dare, qui ritus hodie apud Græcos usitatus est.

(*p*) *Morum liberalitatem*] Audiamus *Zag. Zab in confess. p.* 507. *Nullas alias habent Eleemosynas, præter eas quæ gratis in templis offeruntur pro exequiis mortuorum & aliis piis causis & rebus. nec eis licet vicatim mendicare, nec à plebe aliquid Eleemosynarum extorquere. Si quis igitur in lecto decumbens Legatum seu Eleemosynas promiserit, & dinde recuperata valetudine non dat, non potest causam movere Patriarcha.* Eleemosynæ gratuitæ apud illos.

CAPUT IV.

(*a*) *De Electione Patriarchæ, Episcoporum, &c.*

UBi obiit Patriarcha qui Clavum gerebat in Spiritualibus, (*b*) domus Cathedralis Canonici post ipsius funera omnes ac singulos publice hortantur, ut Deo preces fundant, eumque rogent, ut auxilietur singulis per Spiritum Sanctum, quo eligatur novus Ecclesiæ suæ Rector, gratus illi, gratus hominibus. Inde statim litteras mittunt, ac (*c*) vocant Archiepiscopos & Episcopos omnes; qui ubi convenerunt in Domo Cathe-

thedrali, eligunt aliquem (*d*) ex senioribus Monachis, qui in Eremis habitant, ac Pœnitentiam, Jejunium, Castitatem, & omnia quæ pertinent ad mortificationem carnis, rigide videntur servare & observare. Ubi vero electus fuit aliquis, illi minime aperiunt (quam primum enim novit quisquam se ad illam dignitatem vocari, (*e*) fugit, nec libenter accipit munus) sed vi capiunt illum, & in urbem ducunt, multisque precibus rogant, ut dignetur esse Pastor Ecclesiæ, cum à Spiritu Sancto per Archiepiscopos & Episcopos electus sit. Ipse vero multis & (*f*) verbis & lacrymis reluctatur, seque tanti oneri non posse sufficere, nec parem se esse profitetur: tandem veluti precibus victus suscipit onus. Illico (*g*) ad Proregem ducitur, qui Ægypto tum temporis præest, à quo Jacobitarum Patriarcha constituitur, conceduntur & ea quæ primo petit, ut possit nimirum Ecclesiam regere secundum mores & instituta majorum. Et hæc quidem de Electione Patriarchæ. Agamus jam de Episcopis. Illi siquidem eodem fere pacto quo Patriarchæ eliguntur, per vim enim capiuntur, & ad Patriarcham deducuntur, qui monet ne diutius tam sacrum munus recusent, sed subjiciant sese oneri, memerintque se (*h*) à Spiritu Sancto & vocatos & electos, eundem quicquid fuerit arduum ac difficile, facile redditurum. Ubi consen-

se-

ferunt, simili modo datur illis à Patriarcha vel Prorege facultas, ne cuiquam subditorum iis reluctari, aut in aliquibus adversari liceat.

Ubi vero eligitur Archiepiscopus, convenit Patriarcha cum Canonicis qui habitant in domo Cathedrali, atque ubi elegit eum, dat illi literas authenticas, quod & Prorex facit, ac talem potestatem, qualis dari solet Archiepiscopis, & post ipsius consecrationem, mittit illum in provinciam quam sortitus est. Eadem est ratio de Canonicis, Presbyteris, Prioribus Conventuum; qui quidem (*b*) omnes primo reluctantur, tandem vero velut precibus victi acquiescunt. Ex hisce nulli à Turca hanc authoritatem accipiunt, aut saltem illius Confirmationem, nisi Abbates & Priores Conventuum. Alii ejusmodi authoritate non indigent, cum sint ipsi Subditi Patriarchæ vel Episcopo alicui.

NOTÆ AD CAPUT IV.

(*a*) *De electione Patriarchæ*] Primis & antiquissimis temporibus Ecclesiæ Alexandrinæ à Marco Evangelista constitutæ Electio Patriarchæ competebat duodecim Presbyteris, uti ex Codice Antiocheno refert cl. Seldenus in notis ad Eutychii Origines Eccles. Alexandrin. p. m. 14. الاثني عشر قسيس وامرهم اذا مات Electio Patriarchæ.

مات البطريرك ان يختاروا واحد من هولاي الاثني عشر *Duodecim Presbyteros* (ordinavit Marcus) *& præcepit eis, ut mortuo Patriarcha eligerent unum ex ipsis duodecim Presbyteris.* Et ita duravit hic mos per annos CCL. aut circiter. De Presbyteris tantum loquimur Ecclesiæ Alexandrinæ, qui velut ejusdem Capitulum fuere atque numerum duodenarium à *Marco* institutum nunc sub Alexandro excessisse videntur, uti *Eutychius in Origin. Ecclesiæ Alexandrinæ* refert, cum in hæc erumpit verba, quæ huc adscribere lubet: *Neque desiit* (sunt verba cl. *Seldeni* ex Arabico in Latinum versa) *Alexandriæ institutum hoc de Presbyteris, ut scil. Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo* CCCXVIII. *Is autem vetuit ne deinceps Patriarcham Presbyteri crearent.* vid. pag. m. 65. edit. Londinens. ubi etiam Arabica legi possunt.

Domus Cathedralis.

(*b*) *Domus cathedralis*] Id est, templum cathedrale ubi Patriarcha sedem habebat. Nos hodie vocamus templum cathedrale ein Dom & illius Canonicos Dom-Herrn. quasi dicamus Dominicis Præfectos. vid. *Hospin. de templ. librum. fol. m.* 48.

Convocatio Archi-Episcoporum in funere Patriarchæ.

(*c*) *Vocant Archi-Episcopos &c.*] Post preces ad Deum fusas convocant Archi-Episcopos & Episcopos omnes per literas, quibus significabant quam ob causam missæ essent, nempe ad eligendum *Patriarcham* novum. Ex quibus patet, penes quos in Ecclesia Coptica seu Jacobitica fuerit potestas eligendi Patriarcham, nempe penes Archi-Episcopos & Episcopos, quod sub Alexandro Patriarcha institutum, uti ex Eutychii Ori-

gi-

ginibus clare patet, quando ita: وامر ايض اذا مات البطريرك ان يجتمعوا الاسافقه ويصلحون البطريرك i. e. *Et decrevit* (Alexander) *ut mortuo Patriarcha convenirent Episcopi, qui Patriarcham ordinarent.* Et decretum hoc referente *Seldeno*, Oecumenicum habetur in Canone IV. Synodi Nicænæ primæ, cui interfuisse Alexandrum hunc, quem decrevisse seu imperasse scribit Eutychius, scimus omnes. Canon est: Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι: *Episcopum* (Patriarcham) *oportet maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia* (Episcopis) *constitui.* Intelligimus & cognoscimus inde, abolitum fuisse morem illum, quo ex ipsis & ab ipsis Presbyteris Alexandrinis, seu juxta linguam inferioris ævi, Capitulo ejusdem Ecclesiæ Patriarcha eligendus erat ac simul creandus (idque juxta Synodi Nicænæ mentem) veterumque hunc morem ac rationem immutatam esse, adeo ut jam non ordo ejusmodi Presbyterorum (quia cœperunt indigni inveniri ad primatus tenendos ipsi, unde nec eligere recte quibant nec eligi) sed meritum crearet Episcopum multorum Episcoporum judicio constitutum & ex quacunque Urbe, Provincia, Societate, modo meritum inesset, accersitum. Plura qui legere desiderat evolvat cl. *Selden. annotat. ad Eutychii Origin. pag. m.* 135, 136, 137. *seq.* Aliter autem res se habuit ante hæc tempora, ubi ab initio nascentis Ecclesiæ jus eligendi Patriarchas ad Cleri & populi suffragia pertinuerunt, uti pluribus ostendunt cl. *Suicer. in Thesaur. Eccles. fol. m.* 1181, 1182. *B. Hildebrand. Dissert. de Episcopis* §. 54. *edit. Helmstad.* Unde *Cyprian. epist.* VI. illum verum & legitimum Episco-

ſcopum in Eccleſiâ cenſet, *qui poſt divinum judicium poſt populi ſuffragium, poſt Coëpiſcoporum conſenſum ſuam Cathedram obtineat.* confer. *lib.* I. *epiſt.* 3. Ubi tamen obſervandum, Electionem, quæ fit à Clero & populo traditioni divinæ & Apoſtolicæ perperam à *Cypriano* adſcribi. vid. *Hildebrand. c. l. Larroquan. adverſ. Hiſt. Eccleſ. pag. m.* 257. *ſeq.*

Convocatio Monachorum Seniorum.

(*d*) *Ex ſenioribus Monachis*] Hoc etiam obſervant *Æthiopes* uti *Zaga Zabo* in confeſſione pag. m. 515. ait: „ His omnibus explicatis, obiter & breviſſime aliquid de ſtatu noſtri Patriarchæ exponam: Primum ſciendum, ſolenni ritu Patriarcham noſtrum ab Hieroſolymitanis Monachis noſtris, qui ibi ad ſepulcrum Domini habitant, ſuffragiis creari, idque hoc modo. Vita defuncto Patriarcha, ſtatim Imperator noſter Precioſus Johannes unicum aliquem expeditum mittit Hieroſolymam ad Monachos ibidem agentes, ut dictum eſt, qui nuncio accepto ac muneribus, quæ Imperator Dominus noſter ad Sanctum Sepulcrum dono mittit, continuo aliam Patriarcham ſuffragiis plurimum eligunt. Sed fas non eſt alium quam Alexandrinum eligere ac moribus incorruptum. Quo creato ſuffragia ſua obſignant, eaque Legato, qui ad id venit, in manibus tradunt. Is ſtatim *Cairum* contendit, quo ubi ventum eſt, Patriarchæ Alexandrino, qui ibi ſemper ſedes habet, creationem illam legendam porrigit. Cognito autem quem ex Alexandrinis delegerunt, virum tantis honoribus deſtinatum, cum Legato in Æthiopiam mittit, qui ex veteri inſtituto MONACHUS ORDINIS DIVI ANTONII EREMITÆ debet eſſe. Simile etiam à *Jacobitis* fit, qui *Monachum*

„ in

„ in Eremis habitantem eligunt, ut sit Patriar-
„ cha ".

(e) *Fugit nec libenter accipit*] Hunc ritum in primitiva Ecclesia usitatum fuisse ostendimus in *Antiquit. nostr. Eccles. c. de reverentia erga Sacerdotes.* Olim enim prisci perpendebant ingens periculum quod quis subiret, dum ad Sacerdotium adspiraret. Potissimum autem sibi in memoriam revocabat dictum illud Domini. *Sanguinem ipsius à manu tua reposcam*; Hinc Ambrosius semel iterum & tertio fuga sibi consuluit, ne sibi Sacer ordo obtruderetur. Fuga muneris Patriarchalis,

(f) *Verbis & lacrymis reluctatur*] Verbis forsan insufficientiam suam & tenuitatem profert, quod impar sit huic oneri ferendo. Lacrymis autem ut defleret statum suum, juxta exemplum Augustini, qui cum deberet Episcopus fieri, stabat securus in multitudine; sed nihilominis in eum irruentes obturant, & Sacrum ordinem ipsi deferunt, cum ille amare fleret. & species recusationis.

(g) *Ad Pro-Regem ducitur*] Electum Patriarcham supremus Bassa, Vicarius Imperatoris confirmat, eique Privilegia Patriarchatus roborat. vid. *Philip. Cyprii Chron. Eccles. Græc. pag. m* 504. *edit. Lips.* Non ad Papam ducitur Romanum, sed ad Pro-Regem Turcam Ægypti ex cujus nutu Ecclesiæ etiam negotia pendere videntur, uti *Socrat. in Proæmio lib.* V. *Hist. Eccles.* ait. Hinc juris sui recte existimarunt Imperatores, ut Episcopos non solum, sed & summos Pontifices suo arbitratu Ecclesiis darent, uti pluribus testimoniis probat *B. Hildebrand. in diss. de Episcopis* §. 55. Futile ergo & impudens mendacium à quo contra verum stat *Bellarmin.* pro extollenda Pontificis Romani majestate asserens *Tom.* VIII. *Annal. sub A. C.* DXLIX. Jus præficiendi Eccle- Electus Patriarcha novus ad Pro-Regem ducitur.

siæ

siæ Episcopos à Regibus isto seculo tam in Oriente quam Occidente fuisse præsumptum. Et *Tom.* IX. *Ann. Christi* DCCLII. Cum legas à Regibus Ecclesiis esse datos Episcopos, totum id factum non jure proprio, sed concessione Apostolica. Sed quam falsum hoc sit demonstrat citat. Hildebrand. §. 56, 57. de Episcopis, qui evolvatur.

Electio Episcoporum.

(*h*) *Se à Spiritu Sancto*] Et hæc Electio per *inspirationem* dicitur, quando votis suffragantibus, unoque omnium conspirante consensu, nemine contradicente, Deoque speciale indicium dante, unus aliquis eligitur, perinde acsi ipsi Deus, id ita fieri debere, inspirasset. Electionis per inspirationem exemplum adducere videtur *Eusebius* Fabianum Roman. Episcop. de quo ita Histor. Eccles. lib. VI. cap. 28. Cum fratres omnes ad ordinandum futurum Episcopum in Ecclesia congregati essent, & multi de compluribus illustribus ac nobilibus viris eligendis cogitarent; columba subito è sublimi delapsa, capiti ipsius insedit atque ita cunctus populus uno Spiritu percitus summa cum alacritate & animo uno dignum Episcopatu proclamavit, & remota mora apprehensum in sedem Episcopalem collocavit.

Omnes qui ad Munus Ecclesiasticum promoventur, reluctantur primo.

(*i*) *Omnes primo reluctantur*] Aliter res habet apud Jacobitas quam apud nos in personis Ecclesiasticis eligendis. Illæ enim reluctabantur, quando Sparta Ecclesiastica ornari debebant. Nos autem non vi cogimur, sed sponte currimus, sæpe etiam dolum adhibentes, nihil æstimantes periculum, quod huic muneri adjunctum. Hoc enim periculum ingens cum pii veteres rectius, quam hodie fit à multis, secum expenderent, tantum abest, ut illotis manibus in sacros ordines involarent, ut potius inviti sæpe & maxime re-

reluctantes ad Presbyteria vel Ecclesiasticum munus fuerint protracti. Diserte hoc testatur *Augustinus Epist.* 204. inquiens: *Multi ut episcopatum suscipiant inviti tenentur, trahuntur, includuntur, custodiuntur, donec iis voluntas boni operis suscipiendi adsit.* *S. Ambrosius* de se ipso fatetur *Epist.* 204. *quam resistebam ego, ne ordinarer.* Plura hujusmodi exempla veneranda antiquitas suggerit. Scribit *Epiphanius*; quod cum *Paulinum* S. Hieronymi patrem ordinavit, ipse maxime invitus sacros ordines susceperit. *Nos*, inquit, *cum collectam in villa juxta monasterium nostrum celebraremus, ignorantem eum, nec de eo cogitantem per Diaconos apprehendimus, & os ejus tenuimus, ne liberari se cuperet, & per nomen Christi nos adjuraret, eumque primum Diaconum ordinavimus & compulimus ut altari ministraret. Ipse autem valde obnitebatur, dicens se indignum, & cum jam ministraret, non minori cum difficultate nos ejus ore obstructo presbyterum ordinavimus* &c. Ex quibus constat, viros eximiis docendi donis à Deo instructos olim à populo vel invitos ad Sacerdotium raptos & ordinatos, quanquam labantibus seculis hic mos ordinandi invitos sit abrogatus. Interim tamen videmus morem hunc Jacobitas observare.

CAPUT V.

De Consecratione Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi.

CUm minime quotidianum, sed rarum sit consecrare Patriarcham, de Consecrationis ordine pauca breviter narrabimus. Ubi præcessit electio Patriarchæ (de qua superius egimus) in Ecclesia Cathedrali, & omnibus aliis indicatur consecrationis dies, illa Cives omnes, & ii qui sunt in urbi Memphis, extraneique multi in Ecclesiam in qua debet fieri (*a*) Consecratio conveniunt. Neque tantum Christiani, sed & multi Principes Turcæ & Mahometani illuc concurrunt: rem enim cum raram, tum visu maxime dignam existimant. Consecrationis hic est ordo.

(*b*) Media nocte, incœpta Missa, ac post introitum, Episcopus unus è septem qui Introitum inchoaverant, recedit & Sanctuarium ingreditur, secundus vero inchoat reliquam Missæ partem; secundo succedit tertius, qui itidem suo in celebratione Missæ munere fungitur, tertio quartus, & sic de ceteris usque ad septimum; qui ubi exordium sive Præfationem cecinit, relinquit Missæ partem alteram, seque confert

fert cum reliquis in Sanctuarium, (de quo in sequenti capite) in quo septem sunt gradus in circuitu, atque in medio altare, supra quod Missa celebratur, continet: singulis vero gradibus insistunt septem Episcopi recti singuli supra unumquemque gradum, habitu Pontificali & Mitra ornati. Ac tunc Canonici & Ministri ceteri qui ministrant in Sanctuario, accersunt Patriarcham cum (c) ephod laneo in capite, & (d) indusio lineo & cingulo, de quo supra in tertio nomine Jacobitarum. Cumque accedit ad primum Episcopum qui stat in primo gradu, (e) legit periocham aliquam ex libro Pontificali (f) qui appositus fuerat Patriarchæ capiti (dans illi scilicet animum & spem in Deo, ut Deus det illi gratiam qua possit regere Ecclesiam suam.) Postquam legit periocham quæ designata fuerat, (g) afflat illi ad os, dicens, *Sume Spiritum Sanctum*, quo peracto mitram illius ex capite aufert. Sic secundus in secundo gradu, tertius in tertio, & sic de ceteris, ad septimum usque. Cum vero ad septimum pervenit gradum, septem Canonici domus Cathedralis afferunt illi (h) vestem Pontificalem & eorum unusquisque vestis partem qua se induat porrigit, (primus dat illi linteum quoddam quod humeris debet imponere; secundus indusium, tertius cingulum, & sic de ceteris) idque



addita periocha quadam peculiari, ac vestis partibus singulis destinata, donec omnes suum munus absolverint. Postquam vero Pontificiam vestem induit, sedet in graduum Cacumine, & omnes Episcopi Mitram auferunt; ipse vero imponit aliam capiti, Episcopique & Canonici omnes (*i*) manui ejus dant osculum, obsequium promittentes. Quo peracto, Patriarcha ipse à gradibus descendit, Missam consecrare incipit, & Sacramentum Eucharistiæ omnibus iis qui Ministrant in Sanctuario Episcopis, Canonicis, Archidiacono, & Subdiacono ministrare. Et hactenus quidem de Consecratione Patriarchæ. De Episcopis si quæras, peculiare nihil adhibetur nisi quod in libro Pontificali designatum est. Et has Ceremonias Patriarcha solus Missam celebrans una cum Ministris qui inserviunt efficit: postea vero omnes Episcopi ipsius subditi (scilicet Archiepiscopi) vel saltem tres, inflexo genu manum ejus sedentis super Cathedram ad sinistram Patriarchæ osculantur; & hoc fit tantum ante Consecrationem Sacrificii Missæ. Eadem est ratio Consecrandi Episcopum. Consecratur scilicet à Patriarcha eodem tempore, nec præterea quicquam fit, præter id quod pertinet ad Episcopos, afflat nimirum Patriarcha, jubens ut accipiant Spiritum Sanctum.

N O-

NOTÆ AD CAPUT V.

(*a*) *Consecratio*] Consecrationis ritum antiquissimum esse constat ex Sacra Scriptura, quæ expressis verbis refert Pontificem & Sacerdotes & Levitas consecratos fuisse. Nullus enim Sacrum munus peragere poterat, nisi consecratus. vid. *Levit.* VIII. *Exod.* XXIX. confer. *annot. ad Cunæum & Sigon. de Republ. Hebr. D. Quensted. antiquit. Bibl. Num.* VII. *pag. m.* 49. *seqq.* Et fere nulla gens reperta quæ non singulari ritu Sacerdotes consecraverit, id quod etiam de *Jacobitis* affirmare licet; Scribit enim author, quod certus consecrationis dies indicetur, quo certis ritibus Patriarcha ordinaretur hosque describit Author sequentibus. Consecrationis ritus & antiquitas.

(*b*) *Media nocte incepta Missa*] Ubi per Missam non intelligitur Pontificiorum, quæ plane alia intentione peragitur, & nihil aliud, quam precationes, cantiones, benedictiones & id genus pietatis exercitia. In genere omne ministerium notat, quod ad Sacra pertinet, uti ex Scriptoribus Eccles. probat *Suicer. in Thesaur. Eccles. fol. m.* 220, 221. conf. cl. *Joh. Ulric. Wildt. diss. de Eccles. Æthiop. edit. Argentor.* 1664. quæ cum *Jacobitis* hac in re convenit, quippe illius *Metropolita Jacobita* semper est. vid. *B. Job. Ludolf. in annot. ad Hist. Æthiop.* Fit nocte media.

(*c*) *Ephod laneo &c.*] Vestes hic Author describit, quibus indutus Patriarcha est, quando in Sanctuarium ducitur vel arcessitur. Inter has primo loco ponit Ephod Hebr. אפוד. LXX. ἐπωμίδα. Arab. البدنة ab بدن *amicuit*, quam vocem ex Sacra Scriptura mutuo accepit. Cum autem Ephod sit pallium Superhumerale, uti erudite ostendit *celeber. Braun. in*

elegant. tr. de vestit. Sacerdot. Hebræorum, non videmus quomodo capiti tribui possit, nisi per Ephod intellectum velit pannum illum fluxum, quo capita tegunt Patriarchæ, uti ex effigie Patriarchæ Constantinopolitani, quæ præfixa libro *Philippi Cyprii* quem inscripsit Chronicon Ecclesiæ Græcæ videndum. Vocatur *Ephod laneum* ex more Ægyptiorum, quorum Sacerdotes *laneas vestes* gestare licebat, uti pluribus ostendit prælaudatus *Braunius part.* I. *pag. m.* 61. §. 147. *de Vestitu Sacerdotum*, qui evolvatur. Melius fecisset Autor si *infulam* vocasset. Nam *infula* est fasciola Sacerdotalis alba in modum diadematis, à qua vittæ ab utraque parte dependent. Hinc Sacratæ infulæ dicuntur à *Seneca in Agamem. Act.* III. Festus: *Infulæ sunt filamenta lanea, quibus Sacerdotes velabantur.* vid. *B. Saubert. de Sacrific. lib.* ubi plura legi possunt. Vel etiam mitra vel pileus ex lana formatus coctus intelligi potest. vid. *Braun. Part.* II. *pag. m.* 408. Syri, teste *Johanne Morino* in *Antiquit. Orient. pag. m.* 640. ܡܥܦܪܐ legunt, quod pro amictu accipitur, qui est pars indumenti Sacerdotalis, quo tegitur caput. At apud nostros usurpatur pro pallio Sacerdotali ܡܥܦܪܢܘܬܐ amicti ܐܦܘܕܐ Ephod.

Indusium lineum. (*d*) *Indusio lineo*] Vestes Sacerdotum Ægyptiorum lineas fuisse ex *Herodoto* constat. Hinc *linigeri* dicti sunt. vid. *Juvenal.* & *Lucan.* Apulejus testatur quoque *lib. Metam.* Antistites Sacrorum proceres, candido linteamine injectos fuisse. Cum igitur Jacobitæ Ægyptii fuerint, extra dubium, quin lineas vestes gestarint. Vocatur *indusium Sacerdotale album.* vid. Morin. pag. m. 641. Additur & *cingulum*, de quo antea dictum.

(*e*) Le-

(e) *Legit periocham aliquam*] Orat super eum hoc modo, quo uti solent Æthiopes, quorum ordines Sacros in Ecclesia agnoscunt & venerantur uti refert *B. Jobus Ludolf.* fol. m. 444. *Omnipotens Deus, Tu dedisti ordinationem Ecclesiæ per vocem gratiæ tuæ, quam prius ordinavisti ante generationes justorum, scil. à tempore Abrahami Judices & Sacerdotes constituisti illi: & Sanctuarium tuum nunquam reliquisti sine ministris. —— Nunc effunde desuper virtutem Spiritus principalis, quem dedisti dilecto filio tuo Jesu Christo, quem largitus es Sanctis Apostolis tuis, ut Ecclesiam colerent aratro crucis tuæ in omnibus locis, Sanctitatis tuæ prædicatione, sine cessatione, in nomine tuo.* Oratio tunc adhibita.

(f) *Qui appositus fuerat*] Ritus alius hic nobis sistitur ante oculos, ubi scil. liber Pontificalis Patriarchæ capiti apponebatur, qui cum ritu Ecclesiæ veteris convenit, ubi Episcopi duo S. S. EVANGELIORUM Codicem super CAPUT & VERTICEM Ordinandi tenebant, ut oculari signo sui muneris admoneretur, atque ut inde disceret, se Evangelii prædicatione, tanquam glebæ ex officio addictum & adscriptum esse. Sic enim Carthagine plenaria Africanæ diœceseos congregata Synodus IV. Can. II. Patriarcha (vel Episcopus) cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum Codicem super CAPUT & VERTICEM ejus. Hoc etiam noster *Abudacni* confirmat. Liber capiti Patriarchæ appositus.

(g) *Afflat illi ad os*] Hauserunt hoc ex Scriptura Sacra Joh. XX. 22. ubi Christus discipulos suos afflavit & allocutus est his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum.* Quemadmodum enim sufflando Spiritum vitæ accepestis, ita quoque sufflando Spiritus S. dabitur vobis, quod impletum Festo Pentecostes. Hoc ritu indicare volunt Afflatio in os.

 my-

mysticam & Spiritualem unctionem Spiritus S. uti tradit *Joannerensis lib. Hierarch. Eccles.* c. XII. cui titulus est de magnitudine, præstantia & celsitudine Sacerdotii Eccles. ubi de hujusmodi unctione hac habet: ܘܡܫܬܡܫܚ ܕܝܢ ܠܐ ܒܡܫܚܐ ܡܪܟܒܐ ܐܠܐ ܒܪܘܚܐ ܩܢܘܡܐܝܬ ܘܡܥܒܕܢܐܝܬ *Ungitur autem* (Sacerdos) *non quidem oleo composito, sed ipso Spiritu Sancto personaliter & effective.* Et putant hanc longe præstantiorem esse quam illam. vid. *Job. Morin. Antiq. pag. m.* 614.

Vestis Pontificalis. (*b*) *Vestem Pontificalem*] Cujus partes non simul, sed à singulis singulæ porriguntur, qua investitura confertur, quod Arabes vocant خلع عليه *induere aliquem dignitatis veste, seu ipsa dignitate*, qui ritus etiam hic locum habet. Non autem dubitandum de vestibus Pontificalibus, quod splendidiores fuerint aliorum Sacerdotum vestibus, uti ex vestibus Pontificis Hebræorum & aliorum cognoscitur, quem habitum maximam partem ab Hebræis petierunt, ut & Pontificii. *Polydor. Virgil. lib.* IV. *cap.* 7.

(*i*) *Manui dant osculum*] Tria osculorum genera fuisse scribit celeberrim. *D. Wagenseil. in Sota pag. m.* 284. Primum affectus est Parentum, Præceptorum liberos discipulosque basiantium, imo & æqualium invicem; *alterum* honoris, reverentiæ. Ultimum subjectionis & devotissimi cultus, & obsequii est quod hoc loco intelligitur. De hoc osculo videatur *Kempius lib. de oscul. Herrenschmid. de osculo* aliosque.

C A-

CAPUT V.

De Consecratione Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum.

Fit ea secundum ordinem Papicolarum, Græcorum scil. de qua Consecratione in Sacramento Ordinis breviter narrabimus.

CAPUT VI.

De Forma Templi.

Jacobitarum Templa ab aliis, sive Europæis sive aliis, aliquo modo differunt: quemadmodum, & aliquibus Ceremoniis utuntur, quibus Christiani alii uti minime solent. Hunc igitur in modum structa sunt, ut habeant (*a*) tres plateas sive Alas, & tria Sanctuaria. In prima platea, quæ Sanctuario medioximo adjacet, (*b*) omnes Ecclesiastici, Nobiles, & Cantores manent; (*c*) in secunda plebei & pauperes omnes, (*d*) in tertia feminæ. In Sanctuario vero (*e*) Sacerdos solus, & Mi-

nistri, scilicet Diaconus, & Subdiaconus; reliquis ingredi nefas, nisi habeant ordines majores sacros. Et hoc de Sanctuario Majori quod in medio aliorum collocatum est. Alia vero duo Sanctuaria sunt ab utraque parte majores, ubi volgo solet ministrari; iis utuntur Jacobitæ in Dominica Palmarum, & Festo Natalis Jesu Christi: caussam videbis in sequenti capite. Præter tres plateas supra allatas sunt & loca alia peculiaria, vel pro (f) Sacristia, ubi Sacerdos & Ministri sacra vestimenta induunt, vel pro (g) Lipsana & sanctorum reliquiis, nec non (h) pro eorundem imaginibus, quibus maxime dediti sunt, vel (i) pro fonte Baptismatis, &c. Et hæc omnia loca sunt in Platearum supra dictarum circuitu. In tertia vero platea ubi feminæ manent, est & aliquando (k) Piscina in medio, quæ singulis annis in Festo Epiphaniæ adimpletur aqua: sed & de hoc in sequenti capite dicemus. In tribus Plateis istis sunt etiam, Oratoria, quæ aliis Religionibus, utpote Æthiopum, Armeniorum, Chaldæorum, Græcorum, &c. Inserviunt: in istis diebus festis Missam celebrare solent.

NOTÆ AD CAPUT VI.

Templorum apud Jacobitas Structura.

(a) *Tres plateas sive Alas*] Quid per plateas & alas sibi velit Autor noster non adeo liquidum; qua-

quare hoc loco inquirendum quid ſit platea quid alæ? *Alas* itaque quatenus de ædificiis dicuntur, ita deſcribit Thomas de S. Quercu Anglus, quod ſint *Wallis erected in the ſides of an edifice like Wings*. i. e. muri erecti in latere ædificii. Per plateas autem citatus Autor intelligit *courts before great mens houſes where the people do walke*, atria ante Magnatum domos, ubi populus ambulat. Et quantum ex his Autoris obſcuris verbis conjicere licet formata templa in hunc modum videntur.



In hac Ichnographia nobis tres plateæ & etiam tria Sanctuaria ante oculos ponuntur. Et ſi mediam ædem perluſtramus magnam convenientiam habet cum templo Hieroſolymitano, quod tribus conſtabat partibus: אולם veſtibulo ſpatioſiſſimo, in quo Judæi ante fores ædis ſtabant. היכל ναῷ ſive æde ipſa, quæ ſolis Sacerdotibus patebat,

ut

ut in ea sine populi tumultu tranquille Sacris operari possent. דביר Adyto seu Sancto Sanctorum. Addebatur etiam his atrium mulierum, ubi mulieres locum habebant. vid. *Joh. Henric. Otho Lexic. Rabbino-Philolog. edit. Genev.* de his omnibus noster agit, quando in hæc prorumpit verba:

Locus in Templo Ecclesiasticorum.

(*b*) *Omnes Ecclesiastici* —— *manent*] In prima platea seu loco proximo Sanctuario manent omnes Ecclesiastici Nobiles & Cantores. Hæc Naos vulgo sed male dicitur, *la nef de l'Eglise*, ædes ipsa seu Ecclesia dicta. Imperite prorsus *Abraham Echellensis in epist. ad Job. Morin.* ait: *Ecclesiæ tribus constant navibus.* in *antiquit. Orient. pag.* 332. quid enim naves in terra sicca. Olim hoc in loco soli Sacerdotes erant, qui & Chorus dicebatur, ubi Cantores officia sua peragebant. Vid. Leo Allat. de templ. Græc. pag. m. 15. vid. *B. Jobi Ludolph. annot. ad Histor. Æth. fol. m.* 366. confer. *Suicer. thesaur. Eccl.* qui multa de hac voce lectu digna recenset *part.* 2. *fol. m.* 388. *seqq.*

Locus Plebejorum.

(*c*) *In secundo plebeji*] Hic locus à Græcis vocabatur Νάρθηξ & plebejis & pauperibus proprius. Appellabatur etiam πρόναος, προαύλιον & πρόθυρον τοῦ ναοῦ. Hujus meminit *Sophronius* in vita *Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ. Codin. cap.* XVIII. *Zonar. in Can.* XLVI. *Carth. Concil.* Nicet. Choniat. *de Emman. Comneno lib.* II. πρόναον mentionem facit. De *Narthece* ejusque usu evolvantur *Suicer. thesaur. fol. m.* 391. *Leo Allat. de Templ. Græcor.* qui fuse. *B. Job. Ludolf. in annot. ad Hist. Æthiop. fol. m.* 366. qui hæc addit, quod locus hic quoque dictus sit *ferula*, quia peccatores pænitentes in eo stantes, tanquam sub ferula essent censuræ Ecclesiasticæ, ut *Meurs. in Gloss. Græc. Barb.* putat,

tat, inquiens: *Vestibulum erat muro circumdatum, in quo Catechumeni, nondum videlicet baptizati, nec non ob crimina excommunicati, id est, ex communione Sanctorum exclusi, & ob id pœnitentes stare cogebantur.* Apud Jacobitas autem hunc locum tenebant paupcres & plebeji.

(*d*) *In tertia feminæ*] In hoc conveniunt cum Judæis *Jacobitæ*. Nam apud ipsos olim fæminæ à viris discretæ erant & etiam nunc in Synagogis sunt; Ita apud *Jacobitas* & veteres Christianos antiquitus suum proprium introitum in Ecclesiam habebant, cui Janitrices præfecti erant, quod adhuc apud *Coptitas* observatur. Sic enim Patres Societatis scribunt *Rel. Ann.* 1607. & 1608. *lib.* I. *cap.* 10. *pag.* 39. *b.* Vid. *Cardinal. Bon. de reb. Liturg. lib.* I. *c.* 2. §. 6. qui allegat *Constitut. Apostol. lib.* II. *c.* 61. Confer. huc *Hospinian. de Templis lib.* II. *c.* 1. *fol. m.* 77, 78. Locus fœminarum.

(*e*) *Solus Sacerdos &c.*] In Sanctuario, quod varia nomina sortiebatur. Vocabatur enim ἱερατεῖον Sacrarium, ἄδυτον vel τὰ ἄδυτα locus in quem cuivis ingredi non licet. Θυσιαστήριον Altare. Denique Βῆμα Tribunal Suggestum. In hunc nemo admittebatur nisi Sacerdos & ii qui in officio Sacro ministrabant, Diaconus & sub-Diaconus. vid. *Allat. de Templo pag. m.* 22. *edit. Colon. conf. Suicer. thesaur. Eccles. part.* I. *fol. m.* 682. Observandum autem, quod hæc dicantur de *Basilicis* & *Cathedralibus Ecclesiis* qui Episcopos atque Presbyteros suos habebant. Minores enim Synagogis Judæorum similiores sunt, in quarum medio Βῆμα i. e. excelsior locus instar suggesti visitur, quo per gradus adscenditur, Idque *Coptitæ* Hebraico vocabulo היכל *Heikel* adhuc vocant. Locus Sacerdotis.

atque

atque in eo Sacram cœnam celebrant, & ad fores stantibus administrant.

Sacristia. (*f*) *Sacristia*] Est locus, in quo ministri Sacras vestes ad divina peragenda officia induunt. vid. *Leon. Allat.* Hodie quoque in Templis nostris Sacristiæ in usu sunt, ad custodiendas vestes & alia utensilia Sacra. Unde *Sacrista*, thesaurarius, qui custodit Sacra vasa, vestimenta Ecclesiastica, luminaria. cap. unic. extr. de off. Sacristæ & c. Perlecto §. ad thesaurar. 25. dist.

Lipsana. (*g*) *Lipsana*] Hæc etiam certum locum in Templis habebant, ubi asservabantur. Λείψανον vocabulum autem *late* vel *stricte* accipitur. *Late* sumta hæc vox notat *residuum*, *reliquias*, quales tandem illæ sint. *Chrysostom. epist.* CXIV. *Stricte* notat reliquias Sacras, uti *Chrysostom. Homil.* LXV. *Tom.* V. asserit. Vocem Græcam Latini retinuerunt, uti patet ex verbis illius, qui vitam *Gundulæ* scripsit: *Prope Lipsanas Sacræ Virginis ire religiosum duxit.* Item: *Erat namque cernere prope lipsanas Sacræ Virginis se admisisse, & sub tanta protectrice à strepitu prosequentium jam securum procubuisse.* Per hæc autem λείψανα intelligebantur ipsa Martyrum corpora, quæ à Christianis solebant conquiri & honeste sepeliri, ut apparet ex epist. Smyrnensis Ecclesiæ de Martyrio *Polycarp.* apud *Euseb. Histor. Eccles.* lib. IV. cap. 15. pag. 39. ubi fideles dicunt: *Nos collecta ossa ejus lapidibus pretiosis præstantiora & auro probatoria, quo decuit loco reposuimus.* Atque hæc corpora appellabantur λείψανα. De reliquiarum asservatione in Templis vid. Hospinianus in lib. de Templis? qui prolixe de his egit.

Imagines. (*h*) *Pro imaginibus*] Jacobitas imaginibus maxime deditos fuisse ipse Autor noster affirmat, quare pro iis in templis certum locum habuisse

refert. Et nullum est dubium, quin in loco certo positæ & locatæ fuerint. Ipse autor locum indicat, dicens quod hæc omnia loca sint in platearum circuitu. Observandum hic, quod primis seculis nullæ imagines apud Christianos in Templis fuerint, uti longa serie probat *Hospinianus in lib. de Templis lib.* II. *cap.* 14. *fol. m.* 202. *seqq.* Unde etiam primi in Ecclesia Doctores *Irenæus*, *Justinus*, *Tertullianus*, *Origenes*, *Lactantius* aliique in imagines non aliter atque idola invehunt, non quod imagines simpliciter damnent, quemadmodum hodie *Puritani* faciunt, sed quod nullæ tum imagines præter gentilium idola extiterint; quanquam negari non possit, quod per prima tria secula etiam Christiani aliquas imagines habuerint. Refert enim *Euseb. lib.* VII. *cap.* 18. *Cæsareæ Philippi* exstitisse statuam Hæmorrhusæ, quam à Servatore curatam Evangelica historia commendat, quam & se vidisse addit. Imagines itaque Christiani verum extra Oratoria in privatis ædibus habebant usque ad ætatem *Eusebii*, *usque ad A. C.* CCCXXX. imo ut *Erastius* judicat in sua *Catechef. usque ad Hieronymum i, e. usque ad. A. C.* CCCLX. quod nec ipse *Georgius Cassander*, Scriptor Pontificius, in consultatione usque ad *Ferdinandum* Imperatorem diffitetur. Unde suspecta nobis fit antiquitas imaginum, quas *Constantinus M.* in Templis *Romæ* conditis collocasse fertur à *Platina in vita Sylvestri.* Sed post medium *Seculi* IV. mos demum cæpit imagines in templa inferendi & apud *Græcos* illa consuetudo *circa A. C.* CCCLXXX. cæpisse videtur & constat ex *Gregorio Nysseno*, qui *Theodori* martyris effigiem ex marmore sculptam aliasque hujus Martyris pugnas ad vivum expressas commendat oratione in *Theodorum*. In eandem rem

Sozo-

Sozomenus qui circa finem *Seculi* IV. floruit, refert *libr.* V. *c.* 20. quod *Julianus Apostata* cum statuam Hæmorrhusæ dejecisset, Christiani fragmenta collegerint & in Ecclesiam reposuerint. In occidente primus templum depingi fecit *Pontius Paulinus Episcopus Nolanus in Campania* circa *A. C.* CCCCXX. Ipse igitur in templis historias Sacras pingi fecit, ut harum intuitu rectius viverent. Ipse etiam *epist.* XII. *ad Severum* conqueritur, quod *Severus* suam (*Paulini*) imaginem cum S. Martino in templo depingi curasset, & rogat, ut saltem hoc Carmen adscribi mereatur:

Adstat Martinus perfectæ Regula vitæ,
Paulinus veniam quo mereare docet,
Hunc peccatores. Illum spectate Beati
Exemplar Sanctis ille sit iste reis.

Fuere in Templis apud Jacobitas.

Cum igitur de *Jacobitis* asserat Autor, quod imagines in templis habuerint, sequitur, quod illo tempore vixerint, quo mos hic in usu fuerint. Inquivendum autem hoc loco, quid per imagines intelligat Autor? Non autem arbitramur *Jacobitas* in templis habuisse imagines cælatas & solidas, quales Pontificii habent, sed *planas* cujusmodi Christiani Orientales habere solent. Et constat ex *relationibus Coptitas* vel *Jacobitas* tanto odio ferri in imagines solidas, ex metallo, ligno, saxo, cera, argilla, vel quavis alia materia factas, ut ea expresse Idola nominent. Nam in exilium proficiscentibus PP. Societatis, omnia signa etiam venerandissimæ suæ S. Mariæ confregerunt (licet tanti illius cultores sint) Nihilominus profundam reverentiam pictis suis imaginibus exhibent, quam vocant

ἀνωνύμων, & sic non curant verba Dei *Exod.* XX. 5.

(i) *Pro fonte Baptismatis*] Huic certum in templis tribuunt locum *Jacobitæ*. Primis enim seculis Christiani fixum baptisterium non habebant. Ipsum Salvatorem in Jordane, Eunuchum Reginæ *Candacis* in præterfluente baptizatum fuisse Canonica historia commemorat, Lydiam purpurariam cum tota familia *Philippus* in flumine ad quod Christiani preces publicas agere solebant baptizatam fuisse; ut super sepulcris pro confirmanda fide Resurrectionis, Baptismus administraretur, nonnulli ex difficili loco 1. *Cor.* XV. 29. probant. Silam Paulus in privata æde baptizasse videtur. Sed an fons ibi fuerit, an vas aqua plenum non legimus. Hic mos Apostolorum primis seculis usque dum templa conderentur durasse videtur. Hinc in carcere baptizatos memorat *Euseb. lib.* VI. *c.* 5. & in sub lectulo ægrotos, quos propterea clinicos vocarunt, teste Cypriano in Epist. ad Magn. Seculo IV. uti templa ita etiam BAPTISTERIA cæperunt, & FONTES dicti sunt, quod aquam pro baptizandis funderent. Magnificum talem fontem *Constantinus* in Basilica Lateranensi condidisse fertur à *Platina* in *vita Sylvestri*. Germani vocant ein Tauff-Stein/ quod communiter lapis in rem excisus sit. Porro aqua baptizato superfundenda ex fonte per inferiores meatus deduci solebat, cujus aqua receptaculum Colymbetram vocarunt, ut *Socrates* meminit *lib.* VII. *Hist. Eccl. c.* 4. ubi narrat, Judæum incurabili morbo laborasse, quem cum in Colymbetra lavarunt, subito sanus evaserit.

Fons Baptismatis in Templo.

(k) *Piscina in medio*] Refert Autor noster, quod in tertia platea ubi fæminæ manent *Piscina*

Piscina.

fuerit, & per PISCINAM baptisterium intelligit seu illum locum in quem ex Colymbetra aqua jam superfusa baptizato per alios meatus succedebat. In hac Ecclesiæ PISCINA pallæ & corporalia & cætera utensilia Ecclesiæ ablui solebant. Hinc in Synodo Coloniensi sub Rudolpho Imperatore jubent Patres ut post elapsum à confirmatione triduum, infantes ad Ecclesiam deferantur, frontes eorum chrismate iunctí ex hac PISCINA abluerentur & bandelli eorum comburerentur i. e. fasciæ quibus recens baptizati constringi solebant. Ex his satis elucet olim apud *Jacobitas* & alios *Baptisteria* satis fuisse ampla. Refert illud historia *Ratboldi*, qui Dux Frisiorum fuit; & sic tam ampla fuerunt, ut integri homines subter aquam immergi potuerint. Catechumeni dicebantur electi, totique nudi baptizati sunt. Unum quidem habebant Baptisterium fideles viri & fæminæ; sed hoc subductum erat tabulato quodam, ita, ut ab una parte viri, ab altera fæminæ baptizarentur. Colymbetra proprie significat NATATORIUM, in quo natare possumus, ut scribit *Athenæ. lib.* XII. *de Faviss.* vide *Gell. lib.* II. *c.* 10.

CAPUT VII.

De Ceremoniis Ecclesiasticis.

PEculiares quasdam Ceremonias habent illi ab aliis populis plane discrepantes, quas se à majoribus accepisse jactitant,

& in hodiernam diem diligenter observant, ut nefas sit vel latum unguem ab illis discedere. Tales sunt illæ quæ solent fieri (*a*) diebus Dominicis; & aliis Apostolorum, seu Martyrum festis. Scilicet (*b*) die Sabbati ante Dominicam, vel die illa quæ festum alicujus Sancti præcedit, omnes in Templum (*c*) nudis pedibus conveniunt, sive sint viri sive feminæ, quiqui possunt, pallium aliquod coopertorium afferunt, quo in Templo nocte illa (*d*) dormientes sese tegant & cooperiant. Templa habent in terra (*e*) storeis vel tapetibus contecta, secundum loci dignitatem; & postquam vesperæ & (*f*) completorium celebratum est, (*g*) omnes in Choro, cum Clerici tum seculares, una canunt orationes & hymnos ad vesperas & completorium pertinentes; postea vero sese conferunt in diversa loca (*h*) viri & feminæ ut dormiant (clausus tamen est circuitus plateæ feminarum, ne homines & feminæ simul sint) præter eos qui manent prope Templum, illi enim in suis ædibus cubant, & ante auroram per unam aut alteram horam, (*i*) vocati prius à clerico quodam adveniunt; ipsique qui in Templo dormiunt, & omnes, qui ordines sacros adepti sunt, majores vel minores (*k*) se cingulo (de quo supra in primo Capite diximus) cingunt, & in Chorum se conferunt incipiuntque (*l*) matutinas canere;

postea (*m*) hymnos & (*n*) horas Canonicas omnes (scilicet primam, tertiam & nonam) quæ quidem vesperarum & matutinarum horæ complectuntur ac continent quadraginta octo Psalmos, omnes Arabica lingua recitatos alternatim. (*o*) Psalmum canunt singuli (scilicet Sacerdotes & majores populi) præter lectiones cum Evangelio, quæ prius lingua Coptica recitantur, postea vero Arabica ut omnes qui adsunt possint (*p*) percipere. Orationes solæ Coptica lingua recitantur, quibus peractis inchoat Sacerdos (*q*) missam una cum Diacono, (*r*) Subdiacono & (*s*) acolythis (qui semper in celebratione Missæ debent adesse) ac ubi omnes sese (*t*) supplices terræ inclinaverunt (*u*) introitum lingua Coptica recitat Sacerdos ante januam Sanctuarii. Hoc peracto Sanctuarium ingreditur una cum ministris in manu (*w*) thuribulum habentibus, ac circuit altare benedicens illi; postea vero Clericus (*x*) ad Sanctuarii januam accedit una cum hostia vino & aqua. Quæ quidem omnia magna modestia ab illo accipit Diaconus in Sanctuario & coram Sacerdote illa ponit. Sacerdos vero omnia ista ordine disponit ut consecrentur, postea (*y*) quasdam orationes & hymnos incipit, ac populus canentis vocem voce sequitur; si vero extent narrationes aliquæ ordinariæ alicujus Sancti vel diei festi, illas Sacerdos

(*z*) lin-

(z) lingua Coptica recitat: quibus peractis Subdiaconus primam Epistolam aggreditur, quæ quidem Epistola ex Veteri Testamento fuerit, eamque Coptica lingua recitat, postea Subdiaconus alter Arabice recitat duas Epistolas, quarum altera ex Paulo Apostolo desumitur, altera ex Catholica, & quibusdam orationibus; & hymnis recitatis, Evangelium quod solet illa die legi recitat. Postea præfationem Coptice solemniter Sacerdos inchoat, quem sequitur Chorus & reliquum canit & Litaniam, quam solus Sacerdos in sanctuario coram omnibus elata claraque voce Coptice recitat. Ubi hæ orationes, quæ fiunt ante consecrationem, peractæ sunt, panem & vinum populo (*aa*) religiose auscultante consecrat. Consecratione facta (*bb*) Sacerdos ipse primo Sacramentum sumit, post eum Diaconus, Subdiaconus & alii ministri. Si vero adsint aliqui ex populo ejusdem hostiæ partem illis communicat Sacerdos, & (*cc*) Cochleari argenteo vel aureo sanguinem iisdem ministrat Diaconus, ita ut omnes isti unius hostiæ debeant fieri participes, quæ unam panis libram ad minimum æquat. Sed ante distributionem Sacramenti Sacerdos calicem tenens, & Diaconus hostiam in patera ferens, egrediuntur è Sanctuario ambo sese invicem respicientes, ita ut is qui præcedit cancri more incedat, Sacerdos nimirum conversus

ad Diaconum qui ſequitur; ſicque per Chorum tranſeunt, inde per duas ſupra allatas plateas: poſtea vero ſimili modo, id eſt Diaconus retrorſum converſusque ad Sacerdotem redeunt in Sanctuarium, & populus qui adeſt ſupplex capite nudo (*dd*) in genua procumbit; quibus omnibus peractis duarum aut trium horarum ſpatio, aut circiter, Sacerdos lavat Calicem ac pateram cum manibus ſimul bibitque aquam illam manibus prius minime exſiccatis & manet ad Sanctuarii januam, omnesque ad illum concurrunt, ipſe vero faciem eorum tangit benedicens illis, atque cum è Templo egredi incipiunt, Chorus Hymnos & Pſalmos lingua Coptica canit. Clericus vero quidam manet ad oſtium Templi cum Calatho pleno hoſtiis non conſecratis, & ſingulis unam dat.

NOTÆ AD CAPUT VII.

Dierum Dominicarum Ceremoniæ. (*a*) *Diebus Dominicis*] Circa ritus Eccleſiaſticos atro notanda lapillo venit prava illa conſuetudo, qua *Jacobitæ* ſive *Coptitæ in ſolis urbibus diem Dominicum, aliosque feſtos obſervare* referuntur, teſte *Brerewodo in Scrutin. Relig. c. 13. n. 11. pag. m. 108. confer. Alexander Roſſ. pag. 237.*

Diei Sabbathi ſolemnitas. (*b*) *Die Sabbathi*] Refert Autor noſter quod Jacobitæ die Sabbati ante Dominicam in templis conveniant celebrentque illum diem, quod etiam *Habeſſini* faciunt, uti ex confeſſione fidei *Claudii*

Re-

Regis Æthiopiæ quam nobis exhibet B. Job. Ludolf Grammath. Æthiop. affixam, clare patet. Hinc elucet Jacobitas & diem Sabbati & Dominicam celebrasse & adhuc celebrare. Hunc ritum quoque in primitiva Ecclesia observatum fuisse, testantur Autores plures, qui reperiuntur apud *Gabrielem Albaspinæum Aurelianensem Episcopum. Observat. de veter. Eccles. ritib. lib.* I. *c.* 13. ut mirum sit, Theologos quosdam recentiores id in dubium vocare, cum contrarium ex Conciliis & aliis Scriptoribus affirmetur. Fuerunt quidem inter antiquos hæretici *Sabbatarii*, ideo forte dicti, quod Dominicam plane spreverint: vel quod Sabbati celebrationem, tanquam Christianis necessariam & quidem Judæorum more rigidissime exegerint; non quod eos, qui sponte illud observarent, condemnaverint. *Concilium Laodicenum Canone* XVI. *ex edit.* cl. *Wolffgan. Gundlingi Norimb.* 1684. *pag. m.* 154. expresse docet, *quod cum reliquis scripturis etiam Evangelium sit legendum die Sabbati.* Quem Canonem non satis explicant Interpretes, quoniam non meminerant Paraschas *Legis Mosaicæ* & *Haphtaras* tantum more Judaico antea lectas fuisse, omissis lectionibus Evangelicis. Volunt ergo Patres *Laodiceni*, ut etiam legatur Novum Testamentum. Recte *Aristenus*: Εὐαγγέλιον κ̓ ἄλλα. &c. Dubium ergo nullum est, quod tum temporis conventus Christianorum sacri in Sabbato habiti fuerint; alias supervacaneum fuisset, lectiones publicas illo die ordinare. Unde negari nequit, Veteres Christianos, præsertim Orientales, una cum die Dominica etiam Sabbatum observasse; quod adhuc apud Æthiopes & Jacobitas in usu. vid. *Phil. Nicolai* lib. von dem Reich Gottes/ pag. m. 35. de quibus Scaliger lib. VII.

de emendat. Tempor. ita ſcribens: *Quod autem Habeſſini* (Jacobitæ etiam) *Sabbatum æque ac dominicam ab opere immune habent, id non eſt argumentum Judaiſmi; ſed veteris Chriſtianiſmi.* Si enim Conſtitutionibus Apoſtolorum quæ vulgo Clementi adſcriptæ ſunt, aliquid tribuendum eſſet, ex lib. VIII. c. 33. hoc probare poſſemus. Sed non opus eſt his inniti Pſeudepigraphis. Alia certiora teſtimonia addit *Baron.* T. I. Annal. ad annum LVII. n. 206. quorum primum eſt Socratis, qui lib. VI. cap. 8. Hiſtor. hæc habet: *Cum feſta cujuſque ſeptimanæ occurrebant, videlicet Sabbatum & dies Dominicus, in quibus conventus in Eccleſiis fieri ſolent.* Alterum eſt *Gregorii Nyſſen.* in oratione, quam habuit adverſus eos, qui ægre ferunt reprehenſiones. Myſteria vero die Sabbati celebrata fuiſſe, ex *Socrate* & *Sozomeno* probat *Petavius* in animadverſionibus ad expoſition. fidei Epiph. pag. 353, 354. Synagogam ergo imitata Eccleſia, lectiones quoque Sacrarum Scripturarum, præprimis vero Evangeliorum inſtituit, quas diebus Dominicis legendas voluit. Hoc etiam affirmatur ubique in hoc Concilio in actibus ſacris σάββατον κ̀ κυριακὴ conjungantur, veluti Canon. XLIX. & Can. LI.

Nudipedalia. (c) *Nudis pedibus*] Alium ritum *Jacobitarum* recenſet Autor in Conventibus ſuis obſervatum, quod ſcil. die Sabbati *nudis pedibus* convenerint. Qua re ſignificare volunt loci Sanctitatem maximam quem ritum etiam Hebræorum Sacerdotes obſervaſſe probat celeb. *Braunius de veſtit. Sacerd. Hebr. pag. m.* 50. Atque hoc ipſum à Jacobitis obſervatum putamus. Apud *Turcas* crimen morte piandum, ſi quis templum calçeatis pedibus intraret, quia locum Sanctum putant. Vid. *Georg.* Douſæ iter Conſtantin. pag. 36. Ipſi etiam

Brach-

Brachmanes apud Indos eadem superstitione hodie laborare, docet *Rogerius*, olim pastor Societatis Indiæ apud illos populos in libro quem inscripsit offene thüe zum verborgenen Heydenthumb/ & quem de Braminum aut Brachmanum ritibus & Relig. conscripsit. Narrat enim eos PAGODA i. e. Templa aut Deorum suorum delubra non ingredi, nisi detractis calceis ob Sanctitatem. *lib.* II. *cap.* 10. Imo & Gentiles hoc observasse ex illorum Scriptoribus patet. Vid. *cit. Braun. pag.* 47. Deinde etiam hic ritus signum est submissionis & abjectissimi animi coram Deo. Nam apud Hebræos non solum Sacerdotes, sed etiam totus populus nudis pedibus incedebat diebus jejunii. vid. *Massech. Jom. c.* 8. *Buxtorff. Synagog. Judaic. c.* 30. *Braun. pag. m.* 44, 45. *cit. libr.*

(*d*) *Dormientes sese tegant*] Jacobitas die Sabbati in templo dormisse asserit Autor, quem morem Sacerdotes Hebræorum observasse dicit celeb. Braun. pag. m. 76. quam quoque Gentiles observasse affirmat *Hieronymus* Esai. cap. LXV. ad hæc verba Prophetæ: *Qui habitant in sepulcris & in delubris Idolorum.* *Nibil*, ait, *fuit sacrilegii, quod Israël populus prætermitteret, non solum in hortis immolans, & super lateres thura succendens: sed sedens quoque vel habitans in sepulcris & in delubris* DORMIENS, *ubi stratis pellibus bestiarum incubare soliti erant, ut somniis futura cognoscerent.* Strabo lib. XVI. eos qui caste vivunt, pro se & pro aliis dormituros in templo asserit; *Dormiendum*, inquit, *illis esse, pro se & pro aliis, quin bonis somniis capiendis apti essent; & expectandum à Deo aliquod donum, aut signum, si juste vivant: cæteris autem nihil expectandum esse.* Dormitio in Templis.

(*e*) *Storeis vel tapetibus*] Tanta dignitate erant templa Jacobitarum, ut pavimenta eorum *storeis* Storeæ vel tapetes.

& *tapetibus* tegerentur, ne stercore inquinarentur. *Storea* autem teges vilior ex juncis aut stramentis quæ humi sternitur, unde à στορέω *sternere*. vid. *Martini Lexicon. Etymolog. Thomas de S. Quercu* Anylus vocat, *a mat, or any covering Spread on the ground*. confer. *Gail. Stuck. antiquit. convival. fol. m.* 202. *edit. Tigur. celeb. Braun. de Vestit. Sacerd. Hebr. cap.* XVI. *part.* I. *pag. m.* 245. §. 219. Adduntur storeis *tapetes* quibus quoque terra seu pavimentum templi obtegebatur. Quid autem *Tapetes* sint, pluribus ostendit sæpe citatus *Braun l. c. pag. m.* 304.

Completorium. (*f*) *Completorium celebratum est*] Completorium Thomas de S. Quercu ita describit, quod sit *Prayers at the end of Miss.* i. e. *preces in fine Missæ*. vel ut *Spelmann.* vult, dici potest, quia in ipso cursus diei completur. Unde Completorium Missæ est, quando vespertinæ preces finitæ & completæ sunt, quia preces vespertinæ habebantur tanquam Sacrificium. Vid. *B. Hildebrand. Hildebrand. Rituali de Precibus Veter. Christian. à pag.* 78. *usque ad* 89.

Chorus. (*g*) *Omnes in Choro.*] Qui locus erat psallendi & canendi, ubi tam clerici, quam seculares uno ore Psalmos canebant & Deum laudabant, orationes & hymnos dicebant ad vesperas pertinentes. Orationes dicebant completo jam die pro iis omnibus quæ in eo nobis data fuerunt &c. Ut quies quam capturi sint ab omni perturbatione & vitio libera sit. Qua hora etiam necessario Psalm. XC. recitare debebat. Finitis precibus & psalmis cubitum ibant & dormiebant. Ut autem sciamus formulam nocturnarum precum in primitiva Ecclesia observatam & postmodum propagatam ex Clemente (sub Jacobi Alphæi nomine) nobis exhibet *Francisc. Bivarii Hispan.*

in

in libr. de Veteri Monachatu edit. Lugdun. 1662. *fol. m.* 166. his verbis: „ Vespere ô Episcope
„ congregabis Ecclesiam, & dicto nocturno Psalmo, loquetur Diaconus pro Cathechumenis,
„ & dæmone agitatis, pro illuminandis & pænitentibus, quibus dimissis Diaconus dicet: Qui
„ fideles sumus rogemus Dominum, & postquam
„ primam orationem absolvit dicet: Salva &
„ excita nos Deus per Christum tuum; Erigentes nos petamus misericordias Domini & miserationes ejus, Angelum pacis, bona & utilia,
„ Christianos Principes, Vesperam & noctem
„ pacificam & sine peccato, atque omne tempus vitæ nostræ inculpabile. Nos mutuo Deo
„ vivo commendemus per Christum suum. Et
„ Episcopus orando dicat: Deus qui nullo ortus principio, nullo fine terminaris; Cunctorum creator per Christum atque gubernator,
„ & ante omnia Deus, ac ipsius Pater, Spiritus intelligibilium, ac sensibilium Rex, qui fecisti diem propter opera lucis, noctem ad requiem inbecillitatis nostræ, tua est dies &
„ nox: tu enim præparasti lucem ac Solem. Tu
„ nunc Domine benigne ac bone, placide suscipe hanc nostram VESPERTINAM GRATIARUM ACTIONEM, qui nos traducis
„ per longitudinem diei & perducis ad initium
„ noctis; custodi nos per Christum tuum, præbe Vesperam pacificam, & noctem sine peccato, & dignos nos fac vitæ æternæ per Christum tuum, per quem tibi gloria, honor &
„ cultus". Tunc populus inclinato capite ab Episcopo benedicebatur, cujus benedictionis formam *Clemens* subjungit. De orationibus vespertinis qui plura desiderat, evolvat *Thomæ Schmith miscell. edit. Londin.* 1686. ubi plura.

(*b*) *Viri*

Viri in Templo à fœminis separati.

(*b*) *Viri & feminæ*] Viros à fœminis separatos fuisse testantur probati Scriptores, qui ritus à Judæis originem traxit, apud quos etiam fœminæ à viris separatæ erant, quos imitati postea alii, & hujus distinctionis exemplar illis præbuit vetus templum Hierosolymitanum, cujus locus orationi populi destinatus ad eum modum ædificatus erat, autore *Josepho*, qui *lib.* VI. *de Bell. Judaic. c.* 6. hæc scribit: *Necessario namque proprius locus religionis causa* MULIERIBUS *destinatus muro discernebatur: altera quoque porta opus fuisse videbatur. Contra primam vero secreta erat, ex aliis regionibus una porta meridiana & una septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur; per alias enim transire ad mulieres non licebat; sed nec suam portam interjecto muro transgredi licebat: patebat enim locus ille pariter indigenis & hospitibus fæminis religionis causa venientibus.* Ad instar etiam illius Christianorum Ecclesias exstruendas Apostolos constituisse docet *Clemens lib.* II. *Constit. c.* 61. his verbis: *Ac primum quidem sit longe domus ad Orientem conversa; ex utraque parte pastophoria* (i. e. porticus) *habens ad Orientem.* Ex his media domus Episcopo, Presbyteris, Diaconis & Clero patebat, pulpito & altari: Pastophorium unum *Laicis viris*; alterum *fæminis* designatum erat. Deinde subdit: *Maneant autem ostiarii ad introitum virorum, illos custodientes: Diaconissa ad introitum fæminarum.* confer. *Francisc. Brivar. Hispan. in lib. de Monachat. veter. edit. Lugdun.* 1662. *fol. m.* 169. Constantinopoli aliter mulierum pudori in templis provisum reperimus, nimirum tabulata eis seorsum prope testudinem parabantur, quibus separatæ Sacris interessent. Nam audio *Metaphrasten* de D. Chrysostomo asserentem, quod *Clericum* ad altare sibi mi-

ministrantem, cum mulierem sursum in tabulato manentem procaciter inspexisse observaret, ab altari submovisse. *Deinde futuri quoque curam gerens*, ait, *jussit velis superiora muniri tabulata*. Sed & *Nazianzenus* ejusdem urbis Antistes carm. de somno Anastasiæ inquit: *Sanctæ virgines una cum gravibus matronis è sublimi tecto castissimas sermonibus meis aures inclinabant*. Et Procopius lib. I. de Ædificiis *Justiniani Imperat. Sunt duæ*, inquit, *utrinque porticus, quas fastigiata testudo & aurum venustant, harum una viros orantes, altera mulieres admittit, alias nulla re differentes*.

(*i*) *Vocati prius à Clerico*] Quo signo autem vocati fuerint, non meminit Autor, Reperimus tamen apud Scriptores varios modos. Quo tempore enim nolæ, aut campanæ nondum erant in usu, inquit *Pachomius* convocabantur non uno eodemque more: In *Ægypto* namque tubâ convocabantur orantes, quippe in Pachoniana Regula scriptum legimus: *Quando ad Collectam tuba insonuerit per diem, qui una oratione tardius venerit, increpabitur*. In *Palæstina* autem *mallei* percussione, quo singulorum cellæ pulsabantur: quod sane munus, *Palladii* tempore in Monte Oliveti gessisse cognoscitur Adolius Tarsensis, uti ipse prodit. *cap.* 104. Lausiacæ inquiens: *A vespera usque ad illud tempus, quo congregabatur Fraternitas in Oratoriis, in Oliveto, in colle assumptionis, unde adscendit Dominus Jesus, perpetuo stabat psallens, & orans & jejunans, & sive pluebat sive grandinabat manebat immobilis. Impleto autem tempore consueto* EXCITATORIO MALLEO *pulsabat cellas omnium, eos congregans ad Oratoria*. Id vero fiebat, cum Monachorum disjectæ erant cellulæ: nam qui eadem æde quiescebant, aliter vocari consuevere. Chrysostom. homil. LIX. Convocatio per Clericum.

ad

ad Regul. Ant. de Syriæ Monachis. *Statim*, ait, *omnes. cum reverentia somnum deponentes exsurgunt* EXCITANTE *eos* PRÆLATO, *& consistunt Sanctum constituentes chorum.* At quonam modo eos ibi Prælatus excitabat? *Postquam Gallus cantavit, statim veniens Prælatus, & pede terram simpliciter cædens omnes excitavit.* In Monasteriis S. Paulæ Bethleemiticis non pedis percussione, Sed VOCIS SONO excitari fratres solitum erat, VOCIS non cujuslibet, sed ALLELUJA; Hieronymus oculatus testis epist. XXVII. in Epitaphio Paulæ: *Post* ALLELUJA *decantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat.* Et epist. XXIX. de Blesilla tyruncula Ascetria: *Nunc ad orandam festina surgit, & tinnula voce ceteris* ALLELUJA *præcipiens prior incipit laudare Dominum.* Probabile igitur videtur, *Jacobitas* excitatos fuisse tuba more Ægyptiorum ubi habitabant; licet etiam non improbabile sit, eos *malleo* fuisse excitatos, quia extra templum in ædibus suis dormiebant. Excitator autem vocabatur EPHEMEREUTA voce Græca ab ἐφημερία, quod significat *vicem*, eo quod munus ejusmodi per vices suas quisque obiret.

Cinctio per cingulum.

(*k*) *Se cingulo cingunt*] Cum zonarum seu cingulorum varia fuerit materia, merito disquiritur, ex qua constiterit materia cingulum Jacobitarum? Nam singulæ regiones diversam materiam cingulorum sibi eligebant, de quibus fuse egimus in tractat. de Zonis seu cingulis veterum. Lineam Zonam Tabennesiotarum fuisse *Hieronymus* ponit in præliminari epistol. ad Regulam eorum, numerans inter cætera indumentorum genera BALTHEOLUM LINEUM. Sed *pellicea* usitatior fuit quibusdam exemplo Eliæ & Johannis,

Cum

Cum autem ex præcedentibus & autore nostro constet Laneis usos fuisse vestibus *Jacobitas*; hinc elucet & *Zonam* laneam fuisse. Testatur hoc *Hieronymus epist. XXIII. ad Marcellam* de ægrotatione Blasillæ; quod in *Syria* unde Autor hujus Sectæ ortus *Lanea Zona* in usu fuerit: *Cingulum*, ait, *non auro gemmisque distinctum est, sed laneum & tota simplicitate purissimum, & quod possit magis adstringere vestimenta.* Et ejusmodi cingulo se cinctos exhibuisse in templo Author noster affirmat. Quid autem per cincturam hanc significare voluerint Jacobitæ quædam supra adduximus, quibus hoc loco quædam addimus. *Cassianus cap. 2.* mysteria Zonæ explicans in hæc erumpit verba: *Itaque orantem militem Christi in precinctu semper belli positum accinctis lumbis jugiter oportet incedere.* *Dorotheus*, scriptor quem Pontificii sæpe citant, hanc rationem dat: *Quid obsecro*, inquit, *sibi vult Zona? Primum quidem Zonæ Symbolum significat, ut ad quodvis opus bonum accincti simus, at parati. Quicunque enim operaturus est*, aliquid, *primum quidem Zona succingitur & sic demum opus aggreditur: ut illud testatur: sint lumbi vestri præcincti. Secundo vero, ut quemadmodum ex pelle mortua Zona conficitur, ita & nos voluptates nostras omnes, omnesque delicias & illecebras, ac desideria carnis mortificamus. Gestatur enim Zona circa lumbos & renes; ibi nimirum nervi sunt quidam, in quibus vis illa animæ nostræ sita esse dicitur, quæ concupiscibilis dicitur, & hoc est quod dicit Apostolus; Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram fornicationem & immunditiem.* Cingulo quoque hoc *Jacobitæ* indicare voluerunt, ut ille, qui preces fundere ad Deum velit, his virtutibus instructus sit.

(*l*) *Ma-*

Hymni matutini.

(*l*) *Matutinas canere*] Bene *Basilius epist.* LXII. differit his verbis: „ Illuscente jam die „ pariter omnes velut ore uno ac corde uno, „ confessionis Psalmum Domino offerunt, ac „ suis quisque verbis resipiscentiam profitentur". Sic *Chrysostom. homil.* LIX. *ad Pop. Antioch.* ait: „ Mox statim surgentes stant hymnos cantantes „ Propheticos multa cum vocis consonantia, „ cum apte compositis concentibus. Sed quæ Cantica? Davidica multos moventia fontes lacry„ marum suaviora"; specialiter vero canere consuevisse ait *Chrysostom.* Psalmos CXXXIII. 6. CI. CXLIII. 48, 67. CXVIII. 84. XXII. 90. XLIII. & CXLVIII. Quod in eis multa sint, quæ ad laudes Dei de nocte persolvendas & mutuam sui in alterutrum charitatem dulciter moventia reperiantur. Nullum itaque est dubium quin *Jacobitæ* quoque concinerint cantica illa, quæ recepta fuerint in Ecclesia primæva, uti fuse probavit Anglus doctiss. *Thomas Schmith. in Miscellan. edit. Londin.* 1686. *pag. m.* 133. *usque* 143. *ubi pag.* 137. ita scribit: „ Hinc sane vi„ detur rectissime concludi, hunc hymnum „ Davidicis annexum in publicis Christianorum „ cætibus, quando stato die (h. e. Dominico) „ ante lucem convenire carmenque Christo quasi „ Deo dicere secum soliti essent". Et pag. 138. subjungit, hunc morem apud Christianos ubivis per universam *Asiam, Syriam* & *Ægyptum* obtinuisse, firmatque opinionem testimonio *Athanasii* & pag. 147. Hymnum matutinum ex Antiphonario S. Notkeri addit: *Gloria in Excelsis Deo, Et in terra pax; Hominibus bonæ voluntatis. Laudamus Te, Benedicimus Te; Adoramus Te, Glorificamus Te, Gratias agimus Tibi, Propter magnam Gloriam Tuam; Domine Deus, Rex cælestis, Deus*

Pater omnipotens, Domine fili unigenite, Jesu Christe, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, Qui tollis peccata mundi, Miserere nobis, Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis, Quoniam Tu solus Sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus, Jesu Christe, Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen. Sequuntur in eodem venerandæ Antiquitatis Codice hi versiculi è Psalmis maxima ex parte collecti, tanquam hymni pars, neque dubitandum videtur, quin simul ac eodem tempore olim recitarentur:

Per singulos dies benedicam Te,
Et laudabo nomen tuum in seculum;
Et in seculum seculi,
Dignare Domine die isto,
Sine peccato nos custodire.
Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum,
Et laudandum & glorificandum est
Nomen tuum in secula. Amen.
Benedictus es, Domine
Doce me Justificationes tuas
Benedictus es, Domine
Doce me Justificationes tuas.
Benedictus es Domine
Doce me Justificationes tuas.
Domine, refugium Tu factus es nobis
In generatione & generatione
Ego dixi, Domine, miserere mei,
Sana animam meam, quia peccavi in Te:
Domine, ad Te confugi,
Doce me facere voluntatem Tuam,
Quia Deus meus es Tu,
Quoniam apud Te est fons vitæ,
In lumine tuo videbimus lumen.

Prætende misericordiam tuam
Scientibus Te.

Hymnorum antiquus usus.

(*m*) *Hymnos*] Hi *Jacobitæ* alios sequebantur populos qui hymnis celebrabant Deum. Extant Hymni *Hilarii*, *Ambrosii* & *Prudentii*, quos Ecclesia canit, & inter *Græcos Nazianzeni* & *Damasceni*, ut cæteros taceamus. Christianis igitur, inter quos se referunt etiam Jacobitæ, semper hymnos Deo edere & canere placuit. Porro hymnum olim dixisse dicitur *Ambrosius lib.* I. *offic. c.* 45. illud Davidicum *Te decet hymnus*, sic accipit: *Hymnus specialiter Deo dicitur. Hoc tanquam excellentius cæteris credere est decorum, quod deferimus Deo.* Et *Hieronymus lib.* III. *Comment. in Epist. ad Ephes.* V. Sic Hymnum à Psalmo & Cantico spiritualibus discerni docet: *Nunc breviter hymnos esse dicendum est, qui fortitudinem & majestatem Dei prædicant, & ejus semper vel beneficia vel facta mirantur. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent, ut per organum corporis quid faciendum: qui vero de superioribus disputat, & concentum mundi, omniumque creaturarum ordinem; atque concordiam subtilis disputator edisserit, iste Spirituale canticum canit.*

Horæ Canonicæ.

(*n*) *Horas Canonicas*] Ter horas Canonicas celebrasse Jacobitas Autor noster differit scil. primam, tertiam & nonam, quod erroneum esse putamus, cum apud veteres hora tertia, sexta & nona in usu fuerit, quem ritum à Judæis primitus Christiani accepisse dicuntur. vid. *Wolffgangi Gundlingii annotationes ad Canon. Conc. Laodiceni edit. Norinberg.* 1684. *pag. m.* 167. conf. *Antiquit. nostr. Eccles. de moribus Christianor. edit. Tubingens.* Et licet sequentibus temporibus septem Canonicæ horæ introductæ, tamen probabi-

le

le videtur prioribus sæculis tres tantum fuisse, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam*, uti *Tertull. in libr. advers. Physic. cap.* X. affirmat his verbis: „Tres „ istas horas ut insigniores in rebus humanis, quæ „ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, „ quæ publice resonant, ita & solemniores fuisse „ in orationibus divinis; quod etiam suadet Da„ niëlis argumentum; ter in die orantis; uti„ que post aliquarum horarum exceptionem; „ non aliarum autem, quam insigniorum exinde „ Apostolicarum *Tertiæ*, *Sextæ*, *Nonæ*. . Hinc „ itaque & Petrum dicam ex vetere potius usu „ Nonam observasse: & tertio orantem supre„ ma orationis munere &c. ". De priori dicitur Act. III. *Petrus autem & Johannes adscendebant in templum ad horam Orationis* Nonam. De posteriori Act. X. *Adscendit Petrus in superiori ut oraret circa horam sextam & cecidit super eum mentis excessus. Et vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum &c. Hoc autem ter factum.* Neminem hinc latet ab ipsis Apostolicis temporibus Horarum Canonicarum cœpisse exordium, quod spectat, ut minimum ad tres prædictas & Nocturnas ac Vespertinas Synaxes: Utpote de quibus expresse egerit *S. Clemens* Principis, ut ajunt, Apostolorum discipulus lib. VIII. *Constitut. Apostolor.* cap. XI. *Preces vestras facite diluculo, Tertia, Sexta, Nona, Vespere & in Galli cantu.* quem antiquissimi Patrum secuti sunt *Cyprian. lib. de orat. Domin. Athanas. l. de Virgin. Hieronym. epist.* VII. VIII. XXII. & XXXVII. & super *caput* VI. *Daniel. Chrysostom. Homil.* LIX. *ad popul. Antiochen. & Homil.* XXIV. *in Epist.* I. *ad Timoth. & in Psalm.* CXVIII. *Basil. num.* LVII. *Cassian. lib.* III. *de institut. aenunt. & Collat.* VII. *Isidor. lib.* I. *de offic. Eccles.*

Rupert. Amalar. & cæteri rerum Ecclesiasticarum Scriptores. Verum & *horam primam* observatam esse asserit *Hispan. Franciscus Binar. in libr. de veteri Monachatu part.* II. *lib.* IV. *cap.* 4. *fol. m.* 49, 50. *de Monachatu Palæstinæ.*

Psalmorum cantus.

(*o*) *Psalmum canunt singuli*] Autor seipsum explicat quando ait scil. Sacerdos & majores populi, & respicit morem antiquissimum, quo olim promiscue una cum Clericis in Ecclesia cantasse & populum simulque Sacerdoti orationem danti vel colligenti respondere consuevisse, colligi potest ex *Hieronymi in Epist. ad Galat.* verbis: *Ad similitudinem cælestis tonitrui Amen reboat*, & illo *Ausonii* in Ephemeride:

Consona quem celebrant modulati carmina David,
Et responsuris ferit aëra vocibus Amen!

Vid. *Baron. Tom.* I. *Annal. ad A.* LXII. *num.* 38. cui addi potest locus *Chrysostom. homil. in Psalm.* CXLV. *edit. Front. Ducæi T. II. p.* 824.

(*p*) *Percipere*] Lectiones Evangelicas peragunt *Jacobitæ* lingua ipsis nota nempe Coptica, secus ut Pontificii, qui lingua populo ignota ministerium peragunt.

Missæ celebratio.

(*q*) *Missam*] Solus Sacerdos Missam celebrare non potest, nisi adsint *Diaconus*, *Subdiaconus* & *Acolythus*, de quibus singulis aliquid dicturi sumus. Ita quoque apud Æthiopes qui imitabantur Jacobitas in peragendo S. Cænæ actu quatuor vel quinque ut plurimum viri requiruntur; *Sacerdos* seu *Presbyter*, *Subpresbyter Diaconus* & *Subdiaconus*. vid. *B. Ludolf. histor. Æthiop. lib.* III. *c.* 6. Quod igitur ad *Diaconum* attinet, ille minister erat, qui tempore Liturgiæ Evangelium legebat. Alia officia Diaconorum leguntur in *Philo-*

lothei tractatu T. IV. Bibliothec. Patrum pag. 527. qui inſcribitur *Ordo inſtituendi Diaconum.* „ Diaco- „ ni igitur apud Æthiopes, qui cum Jacobitis con- „ veniunt, ſint operatores bonorum operum, noctu „ diuque in omnibus locis —— proſpiciant illis qui „ nihil habent, & dent illis de eo, quod ſuper eſt: „ & hortentur eos qui aliquid habent, ut expen- „ dant illis eleemoſynam". vid. *B. Jobi Ludolfi an- not. ad hiſtor. Æthiop. fol. m.* 321. Hinc in ordi- natione illius legitur, quod non conſtituatur ad Sacerdotium, ſed tantum ad miniſtrandum Epi- ſcopo.

(*r*) *Subdiacono*] Hic Eccleſia Jacobitica cum Subdiaconus.
aliis quibusdam convenit. Quando autem Sub- diaconi in Eccleſiam fuerunt introducti erudite oſtendit celeb. *Samuel Baſnagius in Exercitation. ad Baron. pag. m.* 642. *ſeq.* ita ſcribens: „ Cum „ itaque nomen Subdiaconi poſt defunctum Ter- „ tullianum uſurpari cæperit, merito colligimus, „ Eccleſiam ducentis amplius annis officio Sub- „ diaconi vacaſſe. Unde non recenſentur inter „ ordines Sacros antiquitus, licet hodienum à „ Pontificiis numerentur inter illos". vid. cit. *Samuel Baſnag. pag. m.* 643. *ſeq.* qui Pontificio- rum opiniones carpit. Adjungatur huic *Wolff- gangi Gundlingi annot ad Canon. Concil. Laodicen. pag. m.* 218, 219. *edit. Norinberg.* 1684.

(*s*) *Acolythis*] Græcis ἀκόλυθος aſſentator eſt Acolythi.
& comes. *Lucian. in Nigr.* φορτικὸς ἀκολέθων ὄχλος. *Xenoph.* ἀκόλεθοι τῶν συνδείπνων. Cui autem ordini accenſeantur Acolythi erudite oſtendit celeb. *Samuel Baſnag. pag. m.* 640. qui evolvatur.

(*t*) *Supplices in terram inclinaverunt*] In ſignum Proſtratio in terram.
maximæ reverentiæ & devotionis. Olim enim ſupplicantes ita ſe gerebant, uti *Martin. de Roa*

in singularibus ostendit. vid. *tr. noster de Supplicationibus veterum.*

Circa Introitum ritus.

(*u*) *Introitum*] Ante januam Sanctuarii hoc facit, qui his verbis profertur: *Dominus vobiscum:* vel *Deus adjutorium meum intende.* qui introitus Ecclesiis primis frequens fuit.

Thuribulum.

(*w*) *Thuribulum*] Incensio thuris apud Hebræos frequens fuit, uti testatur Scriptura, à quibus Gentiles hauserunt alio plane sensu. Thuris odores adolere tandem solemne fuit Christianis; at ante *Constantinum Magnum* nullus thuris cultus erat in cultu publico Ecclesiæ. Audiamus *Tertullian. Apol. c.* 30. *Offero opimam & majorem hostiam quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam.* Thure quidem olim Christiani utebantur, sed extra cultum Religionis publicum. vid. *Samuel. Basnag. Exercit. pag. m.* 654. Nihilominus thuris usus apud *Jacobitas* obtinuit, uti & hodie apud plerosque moris est.

Accessio ad januam.

(*x*) *Ad Sanctuari januam accedit*] Clericus cum muneribus accedit ad penetrale Sacrum. Munera autem Jacobitarum erant PANIS, VINUM & AQUA. Similiter ritum hunc ad Sanctuarium munera offerendi observant Æthiopes in *Liturgia Æthiopica* referente *B. Ludolfo. in annotat. ad histor. Æthiopic. fol.* 379. „Benedic illis qui liberaliter munera Sacra offerunt, thus & panem Eucharisticum, & vinum & oleum & balsamum & vela & libros lecturæ, & instrumenta Sanctuarii, ut Christus Deus noster illis retribuat in Hierosolyma cælesti". Atque in hoc omnes Æthiopes tam pauperes, quam divites valde soliciti sunt, memores præcepti divini erga Israëlitas, ne quis vacuus accedat. Has Oblationes Græci vocant προσφορὰς & dona seu mu-

munera sunt, quæ fideles tempore Liturgiæ ad altare asportabant; unde formula illa veteris Ecclesiæ Græcæ: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν προσφέρομεν σοι κύριε i. e. *Tua de tuis offerimus tibi Domine*. vid. *Conrad. Rittersh. in not. ad Salvianum pag.* 432. quæ munera erant panis & vinum, de qua oblatione egit cl. *Wolffgang Gudling. in notis ad Zialonii brevem delineationem Eccles. Oriental. Græc. pag.* 117, 118.

(*y*) *Quasdam orationes*] Quæ in Liturgiis Coptitarum vel Jacobitarum habentur, quas communes cum Æthiopibus habent, referente *B. Jobo Ludolfo. pag. m.* 341. „ Recitant ergo quasdam orationes: Gratias agimus tibi Domine per dilectum filium tuum Jesum Christum, quem in ultimis diebus misisti nobis Salvatorem & redemtorum nuncium consilii tui. Iste verbum quod ex te est, per quod omnia fecisti voluntate tua. Et misisti eum de cælo in uterum virginis. Caro factus est & gestatus fuit in ventre ejus: Et filius tuus manifestatus fuit à Spiritu Sancto, ut impleret voluntatem tuam: & populum tibi efficeret expandendo manus suas: passus est, ut patienter (afflictos) liberaret, qui confidunt in te. Qui traditus est voluntate sua ad passionem, ut mortem dissolveret, vincula Satanæ rumperet, & conculcaret infernum & Sanctos educeret, & statuta conderet & resurrectionem patefaceret. Accipiens ergo panem gratias egit & dixit: Accipite comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, Et similiter calicem quoque & dixit: Hic est sanguis meus &c. Recordantes igitur mortis ejus & resurrectionis offerimus tibi hunc panem & calicem, gratias agentes tibi, quod nos reddi-

Liturgiæ Coptitarum.

„ didisti dignos ut stemus coram te & Sacerdo„ tio tibi fungamur. Suppliciter oramus te, ut „ mittas Spiritum tuum Sanctum super oblatio„ nes hujus Ecclesiæ, pariterque largiaris om„ nibus, qui sumunt de iis, ut prosit eis ad San„ ctitatem, ut repleantur Spiritu Sancto ad con„ firmationem fidei in veritate, ut te celebrent „ & laudent in filio tuo Jesu Christo, in quo ti„ bi laus & potentia in Sancta Ecclesia & nunc „ & semper in secula seculorum. Amen". Hanc & alias orationes dicunt, quas adducere nolumus. Evolvatur *B. Job. Ludolf. fol. m.* 343. *seq.* ubi multas ejusmodi preces recenset.

Recitatio fit lingua Coptica.

(z) *Lingua Coptica recitat*] Asserit autor quod *Jacobitæ* in precibus mentionem faciant Sanctorum hoc modo: „ Pro beatissimo & Sanctissimo „ Patriarcha, reverendissimo Metropolita no„ stro, qui laudant te orationibus suis & inter„ cessionibus suis. Stephanus Protomartyr, Za„ charias Sacerdos & Johannes Baptista &c. „ Orationes eorum omnium impleantur in no„ bis. Cum illos nos visita & memento Eccle„ siæ, quæ super omnes congregationes est in „ pace, quæ per pretiosum Sanguinem parta „ est. Et memento omnium Patriarcharum, Ar„ chiepiscoporum, Episcoporum, Presbyterorum „ & Diaconorum, qui dirigunt viam verbi in ve„ ritate". Et respondet populus: „ Miserere „ Domine animarum servorum tuorum, qui co„ mederunt corpus tuum & biberunt sanguinem „ tuum, qui obdormiverunt in fide tua.

Consecratio panis Eucharistici.

(aa) *Religiose &c. consecrat*] Consecratio his verbis fiebat tam apud Coptitas quam Æthiopes: *Converte hunc panem, ut fiat corpus tuum purum, quod conjunctum est cum hoc calice sanguinis tui pretiosi.* Vel. *Spiritus Sanctus descendat & veniat &*

splen-

splendeat super hoc pane, ut fiat corpus Christi Dei nostri & immutetur sapor hujus calicis, ut fiat sanguinis Christi Dei nostri. Hæc verba videntur transsubstantiationem Pontificiorum innuere, qui panem & vinum in corpus & sanguinem Christi mutari asserunt, quorum erroneam opinionem fuse refutavit in historia transsubstantiationis Papalis *Johannes* Episcopus *Dunelmensis edit. Brem.* 1678. *B. Chemnit. pag.* 75. *seqq. Graw in August. Conf. T.* II. *pag.* 626. *seqq. B. Gerhard. L. de Sacr. Cœna* §. 119. *seqq. it. Confess. Cathol. art.* XIV. *cap.* 2. *B. D. Gerla. T.* II. *Disp. Theol. disp.* XXI. Verum cum *Jacobitæ* in his cum Æthiopibus conveniant, qui Ecclesiæ Romanæ non addicti, merito dubitatur, an ejusmodi crassam transsubstantiationem statuerint, licet hoc *B. Joh. Ernest. Gerhard in dissert. de Eccles. Coptica* velit. Nam ex ipsa expositione cujusdam Habessimi contrarium constat, cujus verba retulit sæpe laudatus *B. Job. Ludolf. in histor. Æthiop. lib.* III. *cap.* 5. „ Cum peterem, inquit, expositionem verbo-„ rum CONVERTI & IMMUTARI, atque „ interrogarem: an non putaret substantiam pa-„ nis & vini in substantiam corporis & sanguinis „ Christi converti & immutari"? Respondit: „ Talem TRANSUBSTANTIATIONEM „ Habessinis esse ignotam. Cives suos non tam „ scrupulosos esse: neque tam spinosas quæstio-„ nes movere; sibi tamen videri panem & vi-„ num vulgare converti in mysteriosum & re-„ præsentativum corporis & sanguinis Christi, „ adeoque è profano in Sacrum mutari, ut ve-„ rum corpus & sanguinem Christi communi-„ cantibus repræsentet.

(*bb*) *Sacerdos ipse*] Priorem sententiam confirmant hæc sequentia *Jacobitæ* verba, ubi statuit, quod

Sacerdos primus communicat.

quod post consecrationem Sacerdos ipse primum Sacramentum sumat, quem ritum & Æthiopes observare *Wildius ex Brerew. in diss. de Ecclesia Æthiopica* ostendit.

Cochleare crucis.

(*cc*) *Cochleari argenteo*] *Cochleari crucis* appellato, quia manubrium parva crux terminat. vid. *Ludolf. in histor. Æthiop. lib.* III. *c.* 6.

Prolapsio in genua.

(*dd*) *In genua procumbit*] An his verbis adoratio significetur merito disquitur. Viso enim Sacramento populus in genua procumbit, quod probabile videtur, quippe verbis Institutionis in Liturgia Jacobitarum seu Coptitarum hæc verba inserta conspiciuntur: ET ADORAVIT. Quibus hi hoc volunt quod Christus corpus & sanguinem suum, sub Symbolis illis præsentia, sive, ut mentem nostram melius explicemus, Symbola illa in corpus & sanguinem Christi transsubstantiata, adoraverit, vel nobis adoranda proposuerit, erronea illa sententia est. Neque enim nisi absurde dicitur, quod Christus ipse Symbola illa, aut etiam ea, quæ sub istis nobis exhibentur, adoraverit; falsum & illud est, quod à nobis Symbola illa adorari voluerit. Novimus quidem corpus & sanguinem Christi vere & substantialiter in S. Cæna præsentia esse: novimus & hoc Christum hominem adorandum: quin & illud apud nos usu receptum est laudabili, ut flexis genibus ad S. Eucharistiæ participationem accedamus: ast, quod Symbola illa in Christi corpus & sanguinem transsubstantientur, adeoque adorari debeant negamus.

CAPUT VIII.

De duobus Sanctuariis extimis, de quibus supra Cap. VI. *diximus in forma Templi.*

TEr tantum per annum illa usui inserviunt, (*a*) *in Festo Nativitatis* quidem ter, tres enim missæ illo die celebantur ac necesse missam unam tantum celebret. Secundo in (*b*) *Dominica Palmarum*, quæ dies valde solennis extat apud illos: & denique, festo (*c*) *Exaltationis Sanctæ crucis* similiter. In his igitur tribus festis tres cruces ex ramis Palmarum conficiunt Sacerdotes, atque in singulis Sanctuariis uni benedicunt, & hoc facto processionem una cum illis qui sunt in Ecclesia faciunt ac cruces in fluvium conjiciunt, aliosque ramos benedictos in ædibus asservant.

De piscina quæ est in tertia platea ubi feminæ manent, si quæras, illa in (*d*) Festo *Epiphaniæ*, aqua adimpletur (tunc etiam baptismatis Christi fit commemoratio) & ipse Patriarcha si adsit, consecrat aquam illam, si vero absit, quicunque tunc præest in Ecclesia illius munere fungitur, & aquam consecrat: quo peracto & multis aliis Ceremoniis, hymnis, psalmis & epistolis Evange-

ge-

gelio & aliis tam Coptica quam Arabica lingua absolutis, qui præest exuit se, & vestes deponit; postea sese (*e*) in piscinam quater inmittit, ac inmergit, idque in quatuor piscinæ angulis in crucis ferme modum, & omnes qui adsunt illus vestigiis insistentes idem faciunt in Baptismatis quasi memoriam, & vocatur dies illa (*f*) *Gnitas*, id est submersio: quæ ceremonia consecrationis aquæ per Duas aut tres horas extenditur, multis lampadibus & candelis accensis.

NOTÆ AD CAPUT VIII.

Festi Nativitatis Christi apud Jacobitas celebratio.

(*a*) *In Festo Nativitatis*] Supra diximus quædam de duobus Sanctuariis extimis quibus tantum certis temporibus utuntur *Jacobitæ*, & primo quidem festo Nativitatis, quod celebrant Jacobitæ die XXIX. Chiak in mensibus Coptitarum, qui dies est XXV. Decembr. Juliani, uti nobis exhibet Calendarium Coptitarum à B. Jobo Ludolpho editum, ubi hæc extant ميلاد ربنا يسوع المسيح *nativitas Domini nostri Jesu Christi.* Eundem diem ut apud Ægyptios receptum pro Domini Natalibus memorat *Eutychius Alexandrinus* Patriarcha, qui circa annum 900. scripsit *Tom.* I. *pag.* 310. ut & Constitutiones Apostolicæ lib. V. cap. 12. Etiam Christiani Græci per annos mille ducentos & quinquaginta aut circiter diem illum observarunt, ut ex Ritualibus eorum scriptisque aliis obviis scimus. Hunc diem Jacobitæ magna devotione celebrant.

(*b*) *De-*

(*b*) *Dominica Palmarum*] Festum hoc vocant *festum Alshaianin*. Raphalengius habet الشعانين عيد Golius in Lexic. Arab. col. 1177. ex Camuso سعانين *Festum Palmarum*. Addit Calcasendius *interpretatio ejus Arabice est laudatio*. Et tunc celebrant illud in die Solis postremo jejunii illorum seu Quadragesimæ. Plane Dominica in Ramis palmarum seu in palmis Joh. cap. XII. 13. innuitur. Quæ celebratur in Ecclesia utraque Dominica Pascha proxime præcedente. Interim non suspicari nequimus, vocem illam الشعانين *Alshaianin* corruptam esse ab הושענה Hoshannah, ὡσαννὰ, ܐܘܫܥܢܐ, ܐܘܫܥܢܐ quod clamabant, ramos gestantes unde etiam festum ipsum eo nomine appellatum. Syro titulus lectionis ex Evangelio, dies proprie est ܝܘܡ ܕܐܘܫܥܢܐ ܝܘܡ *Dominica* τῆς *Hosanna*. Et quidem *Calcasendius* pro Arabico illic non agnoscit الشعانين dum Arabicam vocis affert expositionem per التسبيح *laudationem* quam in Ægypto pro *Hosbanna* usurpatam videmus apud Nonnum Panopolitam seu Ægyptum, qui loco in illo Johannis substituit Dominica Palmarum.

Εὐλογίῃσιν ἄναξ Ἰσραὴλ αἰνετὸς ἐςώ.

Celebrationibus Rex Israël laudatus sit. Arabes festum illud etiam البنايبة τῶν Βαΐων nuncupant & السباسين à Chaldaico שביישין quod *ramos*, *frondes* notat. vid. *Gol. in Lexic. Arab. col.* 1131.

(*c*) *Exaltationis S. crucis*] Festum hoc die XVII. mensis *Thoth* seu Septembris XIV. celebrabatur, uti *Seldenus de Synedr. Hebr.* & *Ludolf.* Exaltatio crucis.

in

in Calendar. Æthiopico asserunt. Festum hoc per triduum celebrabatur apud Coptitas seu Jacobitas.

Epiphaniæ Festum.

(*d*) *Festo Epiphaniæ.*]. Festum Epiphaneorum magna festivitate celebratur apud Jacobitas seu Coptitas. Etenim anniversarium diem esse baptismi Christi pro certo credunt, ex communi & antiquâ Orientalium Ecclesiarum traditione, ut *Baronius* loquitur ex Eusebio ad Marinum. Concordat Hieronym. in Ezech. c. I. atque omnes Scriptores Ecclesiastici, uno dumtaxat excepto *Epiphanio*, de quibus videri poterit *Baron. ad ann. Christ.* XXXI. *n.* 18. Græci vocant τὰ ἐπιφάνεια & notant diem festum, qui celebratur solenniter in honorem nostri Salvatoris, ad colendam & fovendam memoriam felicissimi illius diei, quo cælestis ille justitiæ Sol excæcato mundo primum illuxit. vide de hac pluribus differentem *Johann. Paul. Hebenstreit in disput. de Epiphaniis. edit. Jen.* 1693. Ut & *baptismatis Christi* referente doctissimo *P. Daniele Papebrochio in Actis Sanctor. Tom.* I. *Maji.* ubi docet Latinam Ecclesiam manifestationem Christi hoc die celebrare, sed solum *baptismum Christi* ad hunc diem proprie pertinere, propterea, quod totus oriens, penes quem distinctior fuit historiæ Evangelicæ cognitio, nihil aliud hoc die factum agnoscat. Quamobrem hoc ipso die Piscina, (de qua supra egimus) aqua impletur, ut in illa adulti baptizentur, qui depositis vestibus, quater se immittunt instar Crucis formam ad quatuor Piscinæ angulos.

Baptizandi in Piscinam immergebantur.

(*e*) *In piscinam*] In quam baptizandi immerguntur, quæ Græcis vocabatur κολυμβήθρα. Colligitur ex *Act.* V. *Concilii* sub *Menna pag.* 719. Idem Episcopus habebat quandam nondum baptizatam ἐν τῷ βαπτιστηρίῳ πλησίον τῆς Κολυμβήθρας prope

fon-

fontes. *Socrates histor. Eccles. lib.* VII. *cap.* 4. *pag.* 266. de Judæo paralytico dicit: ἀπὸ τῆς Κολυμβήθρας *è piscina baptisterii extractus.* Κολυμβήθρα erat piscina naturata. Est locus unde natare possumus seu nos mergere. Apud Scriptores Ecclesiast. satis frequenter de *Baptismo* usurpatur. *A Basilio Seleuciensi Orat.* XXVII. *pag.* 149. Christiani vocantur οἱ τῆς πνευματικῆς κολυμβήθρας υἱοὶ Spiritualis piscinæ filii. *A. Chrysostomo Homil.* XC. *tom.* V. Baptisterium vocatur terribilis & desiderabilis Κολυμβήθρα (piscina). Ab eodem in cap. 4. ad Gal. κολυμβήθρα τῶν ὑδάτων piscina aquarum.

(*f*) *Gnitas*] Non *Gnitas*; sed נִטְבָּה vel מגחטים submersio illa vocatur, ab Arabico גחס *natavit*, *urinavit*, *mersit*, *submersit*, *immersit sub aquam*, *baptizavit*. vid. *Schmidl. Lexic. Pentagl. fol. m.* 350. Moris itaque fuit, ut totius corporis immersio fieret, quæ adhuc in omnibus Orientalibus Ecclesiis in usu est. Submersio illa quomodo dicta.

CAPUT VIII.

De Indumentis Sacris.

QUia Jacobi Filii sunt indeque Jacobitæ appellantur (ut videre est in primo Capite) hanc sane ob rem omnes fere ceremonias Judaicas, & partem sacrorum vestimentorum in hodiernam diem observant; utuntur videlicet (*a*) panno la-

laneo in Capite, atque illud ii non modò debent gestare qui Ecclesiæ ministrant, verum etiam omnes, qui Ecclesiam ingredi volunt, alias non licet. Utuntur præterea (*b*) indusio ad Terram usque demisso, cum Gemmis aliquibus in modum crucis appositis pectori, dorso extremis partibus prope terram, (*c*) & manicis prope manum & brachia. Si vero Ecclesia pauper fuerit pro gemmis (*d*) sericum apponitur. Hocque ubi inuduerunt se, cingulo, de quo supra egimus, cingunt, & Sacerdos ipse solus (*e*) manipulum in dextra manu fert; alii vero ministri, scilicet Diaconus & Subdiaconus; & qui sunt ordinis inferioris, hoc facere nequeunt: & hoc diebus singulis utuntur. In solemnibus vero cum Pontifex nullus Missam celebrat, Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, (*f*) Pallium ferunt (*g*) cum cucullo in Capite super Pannum laneum. Nulli ferunt (*h*) stolam nisi Pontifices, habent quoque aliqua velamenta serico confecta, quæ inserviunt ministerio Sacramentali, scilicet quando Diaconus per vestem interpositam tangit illud, non autem manibus nudis.

Observant etiam nonnullas alias ceremonias ex veteri Testamento; quemadmodum (*i*) abstinere à cadaveribus mortuorum, (*k*) & aliis multis quæ in Sacris literis recensentur. (*l*) A pollutis animalibus, polluto san-

sanguine, item (*m*) à suffocato abstinent plane; & multa alia, quæ in Veteri Testamento Judæis præcipiebantur, rigide ac diligenter observant.

NOTÆ AD CAPUT VIII.

(*a*) *Panno laneo*] De hoc supra diximus cum de consecratione Patriarchæ egimus. Pannus laneus. 1.

(*b*) *Indusio*] Hoc describit Autor à longitudine & ornamentis; longitudinem his verbis exprimens, *ad terram usque dimisso*. Indusium autem vestimentum, quod corpori intra plurimas vestes adhæret. *Varr. lib.* IV. *de LL. Thomas de S. Quercu*, indusium Hebr. vocat כתנת Chechonet, quod lineum. vid. celeb. Braun. de vestibu Sacerdot. & ita describit ex Josepho: *Quod indumentum illud sit tunica talaris, corpus ambiens & manicas circa brachia adstrictas habens.* Hanc tunicam longam usque ad talos fuisse asserit citatus auctor, quare Lectores ad illum remittimus. Addit Autor noster quod hæc tunica gemmis ornata fuerit crucis formam repræsentantibus. Cum ergo *Jacobitæ Ægyptiorum Monachi*, eorum vestitum fusius considerabimus. Indusium hoc tunicam longam dici extra omnem dubitationis aleam ponimus. Verum an manicata & gemmis ornata fuerit, uti Autor noster vult, merito disquiritur. De toga produnt *Cassianus lib.* I. *cap.* 5. & *Sozomenus lib.* III. *cap.* 13. quod Ægyptii monachi absque manicis incesserint: Ægyptii Monachos, scribit, *χιτῶνας ἀχειρίδωτους* habuisse i. e. tunicas sine manicis. Hæ vocabantur *Colobia* & *lebitonaria*, ut apud Pachonium; de quibus *Isidorus* Indusium.

rus lib. XIX. *Origin. cap.* 22. Lebitonarium ait; est colobium sine Manicis quali Monachi Ægyptii utuntur. De *Colobio* vero: Colobium dictum quia longum est & sine manicis. Antiqui enim magis hoc utebantur. Lebiton autem linea vestis erat instar colobii; qua Monachi utuntur hodie per Thebaidem & Ægyptum. Ex his satis patet quale fuerit indusium Sacerdotum Jacobitarum confer. *Francis. Bivar. Hispan. de Veter. Monachat. fol. m.* 172. *edit. Lugdun.* 1662. Quod autem dicat cum gemmis in modum crucis pectori & dorso ac extremis partibus prope terram &c. de hoc controversiam movere nolumus. Illud tamen certum est Jacobitas omnia per Crucem signasse, ut hoc signo ab aliis discernerentur.

Manicæ. (*c*) *Et manicis*] Ex his Autoris verbis elici posse videtur, quod tunica Sacerdotis *Jacobitarum* manicata fuerit, qualem etiam gestabat Hebræorum Sacerdos, uti erudite ostendit celeber. *Braunius lib.* II. *pag. m.* 372, 373. *seqq.* ubi plurima lectu digna occurrunt, & videtur sententiam suam probare ex iis; quod *Jacobitæ* Sacras Judæorum vestes observent. Attamen ex verbis *Francisci Bivarii* hæc sententia vix locum habebit, qui fol. m. 132. ex Cassiano hæc refert: Gestant etiam Ægyptii Monachi vesticulas duplices, laneo plexas subtegmine quas Græci ἀναβολὰς, nos vero succinctoria, seu redimicula vel proprie rebrachiatoria possumus appellare. Quæ descendentia per summa cervicis, & e lateribus colli divisa, utrarumque alarum sinus ambiunt, atque hinc inde succingunt &c. Verum tunicam hanc manicatam fuisse probabilius videtur, cum tunica hæc Monachis perantiqua fuerit, vid. Cit. Francisc. Bivar. fol. m. 133.

(*d*) *Seri-*

(*d*) *Sericum apponit*] Loco Gemmarum sericum addit pauperior Ecclesia Jacobitarum, ita tamen ut signum crucis hoc formaretur. Sic quoque alii hos imitati sunt. Gestabant purpuram tenuem in veste *Pachonii* discipuli & discipulæ in cucullis suis CRUCIS PURPUREA figura notatis, teste *Palladio in Lausiac. lib.* IX. *cap.* 14. — Sericum gestamen.

(*e*) *Manipulum*] Summus Sacerdos seu Patriarcha solus manipulum in dextra sua gerebat in discrimen aliorum Sacerdotum. Per manipulum hic intelligit autor fasciculum herbarum, quas pro signo, uti signifer, gerebat. vid. *Thom. de S. Quercu.* — Manipulus.

(*f*) *Pallium ferunt*] Quando scil. Missa non celebratur tunc Sacerdos, Diaconus & Subdiaconus pallium ferunt. Pallium Hebr. מעיל Arab. ممطر lacerna sive penula, quæ inducitur contra pluviam à verbo مطر *pluit*. Sed quotquot habuerit nomina hoc vestimentum, nullum familiarius nec magis notum fuit, quam nomen pallium apud Autores Latinos. Quale autem vestimenti genus fuerit pallium apud veteres, inter Autores non plane convenit. Ejus quidem formam, figuram, materiam & modum gestandi satis fuse tractarunt *Salmasius* in eruditissimo *Commentar. ad Tertull. de Pallio. Ferrar. de Re vestiaria* & alii non pauci. Pallium itaque rectius dicitur à *palla*, quod palam & foris esset teste *Varrone*; aut etiam *corrugatione* & mobilitate, quæ circa finem hujusmodi indumenti ἐστὶ ἡ πάλλειν. Formam pallii quod concernit, hanc nobis exhibuit & descripsit sæpe laudatus *Braun. de vest. Sacerdot. Hebr. pag. m.* 441, 442. Sed quod exemplar fuisset pallii Jacobitarum quæritur? Pan- — Pallium. — Quale illud Jacobitarum.

nium quadratum ad Scapulas super humerum locatum fuisse reamur ex his, quæ Moses Deut. XXII. scribit sub Dei persona loquens: *Tunicu-los, ait, in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui.* Luculentissime id declarat Tertullian. de pallio, quem in gratiam ejus exaravit cap. 1. *In viris, inquit, pallii extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus ab utroque laterum regestus & cervicibus circumstructus in fibulæ morsu humeris acquiescebat.* conf. cap. 5. ubi fuse egit. Juvat & audire Isidorum Plauti testimonio usum lib. XIX. c. 24. *Pallium est quo administrantium scapulæ conteguntur.* confer. *Braun. de vestit. Sacerd. Hebr. pag. m.* 441. *seq.* ubi fuse de *palliis* disserit. & *Fran-cisc. Bivar. de Monachat. veter. fol. m.* 136. qui asserit *Ægyptios Monachos* MAFORTEM seu MAVORTEN gestasse, quod vestimenti genus Cassian. lib. I. cap. 7. ita describit, quod humero hoc tegant. Latinis, uti ex Servio in 1. Æneid. constat. *Ricinum* dicitur ab eo quod post tergum rejiciatur.

Cucullus. (g) *Cum cuculla*] Cuculli formam satis Cassianus declarat in libr. I. cap 4. Cucullis perparvis usque ad cervicis humerorumque confinia demissis, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus. Et Sozomen. lib. III. cap. 13. Caput integumento quod cucullum (Græc. κουκούλιον) appellare solebant operiebant. Ejusmodi *cucullis Jacobitæ* etiam utebantur, qui cum Maronitis quoad vestitum conveniebant, quorum habitum nobis sistit Dapper in der Beschreibung von Syrien/ fol. m. 42. (a) hoc modo. Hos cucullos adhuc gestant Monachi & rationem addit *Dorothæus Doctrin.* I. Gestamus autem & cucullum, quod Symbolum quidem est innocentis animi, puri & vere humilia-ti.

(a) Vide insertam tabellam.







ti. Est enim cucullus divinæ gratiæ Symbolum. Quoniam quamadmodum cucullus tegit ac fovet pueruli caput, ita & Dei gratia mentem nostram tuetur ac favet. Ergo cucullus apud veteres capitis solius integumentum erat. Sive autem dicatur cuculla, in quo discutiendo superflue nonnulli tempus terunt (vid. Soler. de pileo) cum liqueat apud Scriptores Latinos utrumque genus admittere. vid. *Hieronym. in vita Hilarion. Lamprid. in Heliogab.* Quod autem cuculla tegmen capitis sit asserit Metaphrastes in vita S. *Pachomii*, agens de hæmorrhoissa ad tactum cucullæ ejus sanata, inquiens: *Cum sensim à tergo appropinquasset, & tetigisset cucullam, quæ erat in capite ejus, fuit statim curata.* Et de institutis illius agens *Palladius in Lausiac. c.* 38. Comedentes velent capita sua cucullis, ne fratrem videant mandentem. Asserit & Juvenal. Satyr. 8.

—— —— quo se nocturnus adulter
Tempora Santonico velat adoperta cucullo.

vid. *Martial. lib.* XIV. *Strab. lib.* IV. *Lamprid: in Heliogab.* Et licet olim à pallio sejunctus fuerit; attamen successu temporis conjungi cœpit cucullus cum sago aut pallio. Unde apud Hieronymum legitur aliquando *sagus cucullatus.* & apud Isidorum *casula cucullata*, quæ ad modum pallii erat, sed undiquaque clausi manicis carentis, cui ex capitii parte assuta esset cuculla: quæ loquendi forma etiam ostendit cucullum solius capitis fuisse tegmen. vid. *Francisc. Bivarii Hispan. tr. de Monachatu. fol. m.* 135. Observandum autem quod, quemadmodum Jacobitæ formam Crucis in vestibus gestarunt, cuculli etiam hoc signo ornati fuerint. Id quod non negamus,

 quia

quia in aliis etiam factum, uti testatur *Palladius*, & ex eo *Solerius in lib. de pileo.* his verbis *Fecit eis cucullas, in quibus etiam jussit imponi figuram CRUCIS purpureæ.*

Stola. (*h*) *Stolam*] Stola erat vestis longa usitata Medis ad talos pertingens. Latini dicunt vestem muliebrem longam, ut *Horat.*

Ad talos demissa stola & circumdata palla.

vid. *Martin. Lexic. Etymol. fol. m.* 3762. *Soler. de pileo pag. m.* 112. *Videatur de hac Ferrar. de re vestiaria*, qui plura lectu digna subministrat.

Abstinentia à morticinis. (*i*) *Abstinere à cadaveribus mortuorum*] Jacobitæ ceremonias quasdam Veteres Testamenti observabant inter quas erat hæc, abstinere à cadaveribus mortuorum, de his legitur *Levit.* XVII. 15. *Deut.* XIV. 21. Comprehenduntur in iis locis tam bestiæ, quam aves morticinæ sive laceratæ. נבלה Morticinum erat, quod mortuum est, (sine mactatione) טרפה vero, seu laceratum, quod vel à fera, vel ave laceratum inveniebatur, mortique proximum erat, licet & id laceratum vocarent, cujus caro in mactatione cultri quodam vitio lacerabatur, & hoc poterat Proselytis vendi, ut comederent, aut alia ratione in usum suum converterent. Vid. *Maim. de Maacaloth asuroth. cap.* 4. Jacobitæ igitur Judæos imitabantur & plane abstinebant à morticinis vel laceratis, nolebant esse Proselyti, quibus ipse legislator permittebat carnem hanc edere, quando *Deut.* XIV. 21. mandat: *Non comedes morticinum, sed dabis illud* לגר אשר בשעריך *peregrino in portis tuis, ut comedat illud, aut vendat peregrino.* Quod tum *Rabbini*, tum Onkelos intelligunt de גר תושב proselyto domicilii, seu incircumciso, quem propterea vocat אוכל נבלות

in Gloss. Talmud. ad Tit. Erakim cap. 7. Ita hoc quoque explicat *Henricus Ainsworth, Anglus in Comment. ad Deut. fol. m.* 53. *edit. Londin.* quando ita loquitur: Dabis illud peregrino *not the Proselyte, or stranger joyned to the Church, for such were bound to keepe the whole law, but as both the Chaldea paraphrases expound it, the uncircumcised stranger that is in thy citres.* Hinc peregrinum *Maimonides Tom.* II. *in Issureibiach cap.* 14. *fol.* 7. vocat גר תושב & citat. *Ainsworth.* ita exponit *stranger inhabitant or Sejourner,* qui ita describitur à Maimonide cujus recta Anglice reddita recenset prælaudatus Anglus: גר תושב *Ger tosbad is an heathen, who takes upon him that he will serve no idoll, with the residue of commandements which were commanded to the sonne of Noah.* Judæo autem circumciso non licebat comedere morticinium, sed sub gravissima pœna interdictum, uti ex *Maimonide in tract. de cibis prohibitis cap.* 4. *Sect.* 1, 2, 3, 4, 8. refert cit. *Ainsworth. Comment. in Levit. cap.* 17. *fol. m.* 101. *edit. Londin.* his verbis: *He thath eateth (presumptuosly) so much as an olive of the flesh of any cattel that is dead, or wilde beast that is dead, or fowle that is dead is to be beaten. And whatsouer is not killed so as is meet, loe that is a dead-carcasse-Nothing is forbidden by the name of a carcasse, but the sorts of cleane things onely, because they are fit to be slaine, and if they bee slaine after a lawfull manner, they are lawfull to be eaten. But uncleane things; whose slaying availeth them not, wheter they be duely slaine, or dye alone, or the flesh be cut off from them alive, who so eateth of them is not beaten as for a carkasse or a torning thing, but as for eating of uncleane flesh.* —— Et quibus interjectis lineis hæc addit: *The law forbiddath a*

 dead

dead thing, and thatis a carkaſſe: and forbiddeth that which inclineth to dye, thouyl it be not already dead, and that is the torne thing. There is no difference in the dead, whether it dye of it ſelfe alone, or whether it fall and dye, or whether it be ſtrangled untill it dye, or that a wilde beaſt hath rent and killet it. i. e. „ Qui de beſtia mortua „ ſeu bruto quantum oliva comedit, vel ave „ mortua, verberatur. Et quodcunque non le- „ gitimo modo mactatum cadaver eſt. Nihil ſub „ nomine cadaveris prohibetur, quam modo res „ mundæ, quia aptæ ad mactandum, & ſi legi- „ timo modo mactantur, poſſunt juxta legem co- „ medi. Aſt res immundæ, quas mactatio non „ polluit, an legitime mactatæ ſint vel ſpon- „ te moriantur, vel caro deglubatur cum adhuc „ vivæ; qui ita de his edit, non verberatur „ propter cadaver, vel laceratum, ſed quia co- „ medit immundam carnem. —— Lex prohi- „ bet rem mortuam, & hoc eſt cadaver, & „ prohibet id, quod morti proximum, licet non- „ dum mortuum & laceratum. Nulla hic dif- „ ferentia in mortuo an ſtrangulatum, vel bruta „ dilacerarint illud ". Hunc morem & alias gentes cum Hebræis & Jacobitis obſervaſſe legimus. Judæos imitatus Muhammedes, ineruditiſſimus fur rituum Judaicorum, qui hæc ipſa interdixit, quæ interdicta Judæis, inter quæ recenſetur *morticinum Surat.* II. *verſ.* 164. حرمت عليكم الميتة prohibita ſunt vobis morticina والمنخنقة والموقوذة والمتردية والنطيحة وما اكل السبع الا ما ذكيتم وما ذبح على النصب وان تستقسموا بالازلام & *ſuffocatum*,

&

& quod ictu, & quod lapsu mortuum est, & cornu ab alio petitum, & quod comederint feræ, nisi quod ipsi jugulaveritis, & quod super lapidibus eum in finem circa Caabam fixis immolatum est, & ut divinatione per sortes utamini. vid. notas *Eduard. Pocockii ad Abul-Faraji specimen Histor. Arabic. edit.* Oxon. 1650. *pag. m.* 328. confer. cl. *Heidegger. tract. de Sanguin. suffocat. edit. Tigur.* 1678. *pag. m.* 9, 10. *Henning Henning. annot. ad Muhammed. precant. edit. Sleswig.* 1666. *pag. m.* 70.

(*k*) *Et aliis multis*] Quæ legi possunt Levit. cap. XI. in quo de cibis Judæis prohibitis agitur. confer. cl. *Hottinger. Leges Hebr. pag. m.* 22. *seqq. Ainsworth. comment. in h. c.* cl. *Samuel Bochart. Hierozoic.* qui fuse de his egit. Nos paucorum mentionem faciemus, quæ sub his verbis & aliis intelliguntur. Certum est Autorem nostrum per hæc verba intellexisse omnia illa quæ Judæis prohibita, quorum primum est *caro Suilla*; quam Judæi fugiebant, uti ostendit cl. *Bochart. lib.* II. *cap.* 57. *fol. m.* 700. *edit. Londin.* Unde vicini Judæis populi illorumque æmuli etiam à sue abstinebant. In his primo Arabes apud quos porcus ne vivere quidem potest, si veteribus credimus; *Plinius* lib. VIII. cap. 52. *In Arabia suillum genus non vivit.* Et *Solinus* capite de Arabia. *Suillis carnibus prorsus abstinent.* Sane hoc animalis genus, si invectum illo fuerit, moritur illico. Hinc *Hieronymus* de Saracenis, qui Arabum pars erant *libr.* II. *in Jovinianum cap.* 6. *Hi nefas arbitrantur porcorum vesci carnibus.* (2) *Phœnices* abstinent à carne suilla. *Herodian. lib.* V. *de Heliogabal.* Bestias quoque omne genus, sive cicures, sive feras (populo dabat pro missilibus, *exceptis suibus.* His enim lege Phœnicum abstinebant. (3) *Ægyptii*, inter quos etiam haben-

di Jacobitæ, non edebant carnem suillam. *Herodot. lib.* II. *cap.* 47. inquit: *Suem autem Ægyptii pollutum animal putant.* Et eum, si quis vel transeundo contigerit, abit immersum se flumini cum ipsis vestibus. Et in hoc differunt *Jacobitæ* ab *Æthiopibus* & *Hebræis* quorum hi esum carnis suillæ admittunt, illi in casu necessitatis. Quod autem Æthiopes carnem suillam edant, patet hoc ex confessione *Claudii Æthiop. Regis* quam Latine edidit *B. Jobus Ludolf.* & verba ita sonant: *Quod autem spectat esum carnis suillæ, non utique prohibetur illo, propter observationem legis Mosaicæ sicut Judæi. Eum enim, qui ea vescitur, non abominamur, neque immundum judicamus. Neque eum, qui ea non vescitur, ut vescatur cogimus.* Quod etiam Hebræi esum carnis suillæ admittant in casu necessitatis affirmat *Maimonid. in Tom.* IV. *tract. de Regib. cap.* 8. *sect.* 1. referente *Ainsworthio* his verbis: *Souldiers that come in the heathens countrie, and subdue them, it is lawfull for them to eat carkasses, or torne beasts or* SWINES FLESH *or the like if they be hungry and finde not what to eat.* Inter hæc quæ prohibita Judæis fuerunt numeratur etiam membrum cum sanguine animalis viventis, de quo plurima legi possunt apud cl. *Heidegger. in lib. de Sanguin. Suffocat. edit. Tigur.* 1678. *pag.* 45. confer. cl. *Michael. Henric. Reinfard. diss. de cibis Hebr. prohibitis edit. Wittab.* 1697.

Polluta animalia.

(*l*) *A pollutis animalibus*] Lex Hebræorum Levit. VII. 18. extat & Rabbini dicunt, quod non comedendum sit פיגול *Piggal* i. e. pollutum abominandum, & est Sacrificium, de quo Sacerdos offerens, tempore mactationis aut oblationis profanam suscipit cogitationem. *Ainsworthius* ita *comment. in Levit.* VII. *fol. m.* 40. expli-

plicat. פיגול *properly is meant of a thing polluted by passing the time of eating, offering, or the like.* De his Sacrificiis comedere non licebat, quia animalia erant polluta. Ut autem intricata hæc de Sacrificiis materia plus lucis habeat ex *Maimonide Hil. Pesal. Hammuka. cap.* 13. exprimemus; *Triplex est cogitatio, qua profana redduntur Sacrificia, Cogitatio mutati nominis, Cogitatio loci; & cogitatio temporis. Illa* est, cum qui Sacrificium mactat, nescit, quale sit, adeo, ut cum holocaustum offerat, putet esse pacificum aut vice versa. *Ista*, cum quis cogitat, se partem comestioni destinatam esurum, sed non suo loco & quæ alia sunt, quæ fuse adduxit cl. *Hottinger. de legib. Hebr. pag. m.* 197. confer. *Ainsworth. Comment. in Levit.* VII. *fol.* 39, 40. Vel *pollutum animal* hoc loco, quod probabilius, est Sacrificium simulacris immolatum, à cujus esu *Jacobitæ* abstinent, & hoc etiam ab Apostolis mandatum Act. XV. 29. Videlicet, ut abstineatis ab his, quæ sunt immolata Simulacris. Nempe Gentilium communis erat cum Judæis consuetudo, ex Sacrificio partem deligere ad convivium, quod in Idoléo celebratum fuit. confer. cl. *Joh. Henric. Heidegg. tract. de Sango. Suffocat. edit. Tigur. cap.* 12. *pag. m.* 202, 203.

(*m*) *A suffocato*] De esu Sanguinis & suffocatorum Apostoli Decretum fecerunt, ut Proselyti Ethnicorum abstinerent à suffocato & sanguine, ne scil. scandalo essent teneris Judæorum conversiorum vel convertendorum conscientiis, id diu in Ecclesia observatum fuit. Repetitur in *Canon. Apostol. Canon.* 63. sub pœna depositionis & excommunicationis. Imperator *Leo Constitut.* LVIII. prohibitionem intendit & eum qui sanguinem intestinis tanquam tunicis infartum, velut Suffocatum.

lut

hut consuetum aliquem cibum ventri præbeat &c. bonorum publicationi subjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris cæsus ac cute tenus fæde tonsus fuerit, perpetuo patriæ exitio mulctandum esse decrevit. Itaque hic mos in Ecclesia *Græca* & *Æthiopica* & *Jacobitica* cæterisque Orientalibus Ecclesiis retentus. vid. *Danhauser. de Eccles. Græc. pag.* 9. Cum autem multi de Suffocato sanguine scripserint, actum agere nolumus & remittimus Lectores ad sæpe laudatum *Heidegger. de Sanguin. Suffocat. libr. edit. edit. Tigur.* aliosque quibus finem huic capiti imponimus & ad alia nos accingimus.

CAPUT IX.

De Sacramentis in Genere, & eorum usu.

SAcramenta apud Jacobitas sicut & apud Papistas, Græcos, Armenios, &c. (*a*) sunt septem, non tamen omnia diligenter observata, scilicet extrema unctio & auricularis confessio, non ita rigide observantur, ut reliqua quinque. Confirmatio una cum baptismate statim datur, nec aliquis ordo observatur in receptione Sacramentorum sed confuse omnia. Similiter una cum Baptismate (*b*) dant infantibus Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie, sæpius etiam Sacramentum ordinis una cum aliis duo-

duobus, & ordines Sacros præter Sacerdotium, quod nulli datur quin prius vicesimum quintum ætatis annum assecutus fuerit. Ante Sacramenti Eucharistiæ receptionem seculares solent aliquando Confessionis Sacramento uti, Ecclesiastici vero fere nunquam. Matrimonium solemniter magnaque pompa & musicis instrumentis adhibitis celebrari solet.

NOTÆ AD CAPUT IX.

(*a*) *Sunt septem*] *Jacobitæ* seu Coptitæ septem Sacramenta agnoscunt sicut *Papistæ*; *Græci* & *Armeni*. Hic numerus septenarius Sacramentorum continetur etiam in *Censura Orientalis Ecclesiæ edit. Diling.* 1582. *cap.* 7. *pag. m.* 105. In ea ipsa Catholica & orthodoxa Ecclesia septem divina Sacramenta esse asseritur. Et ratio ibi additur: *Nam cum dona Spiritus Sancti teste Esaia septem sint; item Sacramenta, quæ ab eodem Spiritu Sancto vim efficiendi habent, sint oportet.* Licet autem *Jacobitæ septem* Sacramenta agnoscant & cum Pontificiis & aliis Orientis Ecclesiis conveniant; attamen affirmare non licet Pontificios esse *Jacobitas*, quia in his Sacramentis ab illis differunt. Unde igitur & quo tempore hæc opinio de septem Sacramentis orta in Ecclesiis merito disquiritur? Notandum autem, quod *Lombardus* primus omnium SEPTEM SACRAMENTA numeraverit, *lib.* IV. *dist.* 2. cum autem nullus esset, in sensu saltem generico, Sacramentorum certus numerus, propter vocabuli Sacramenta septem agnoscunt Jacobitæ.

hò-

homonymiam. Quod *Lombardus* hoc primus fecerit *Georgius Cassander in Consultationibus Artic.* 13. ostendit his verbis: *Non temere quemquam reperias ante P. Lombardum, qui certum aliquem & definitum Sacramentorum numerum statuerit, ad quem sequendum, mysterium numeri septenarii in Divinis literis celebratissimi posteros induxisse videtur.* Imo & Adversarii ipsi non inficiantur: nam primo *Coccius*, qui hanc studii Theologici partem, sibi imposuerat, neque indiligens erat in colligendis dictis veterum, ne unum quidem è Patribus proferre potuit testimonium ad eum numerum explicite confirmandum; neque id tentat quidem. Deinde *Valentianus* diserte fatetur SACRAMENTA SEPTEM Patres simul non numerare, nec aliquo in loco. Postremo & *Bellarminus*, quamvis id invitus faciat, attamen non diffitetur, dum dicit *lib.* II. *de effect. Sacram. c.* 24. Non debere nos ab iis petere, ut è Scripturis aut Patribus nomen *Septenarii numeri* ostendant: quin Patres etsi non junctim numerant septem Sacramenta, at sigillatim de singulis statuere. Quid quod ipse, cum omnia tentasset, non ultra quadraginta ab hinc annos ætatem Septenarii numeri protendere potuit? referente *Richardo Holdsworthio Lect.* XLII. *fol. m.* 376. qui & ipsa verba adduxit; *Magister* (inquit Bellarmin.) *sententiarum & omnes inde Theologi septem esse Sacramenta tradiderunt lib.* II. *de effic. Sacram. c.* 25. Ergo hoc nunc pro concesso ponitur, *Septem Sacramentorum* numerum universæ Antiquitati incognitum, donec *Lombardus* introduxerat. Et quid inde mali est exortum? Revera non angustum aliquod malum, sed late patens & interminata contagio: nam à *Lombardo* ad Scholasticos dogma est traductum, qui omnes excepto uno

vel

vel altero Magistro tenaciter adhærebant. A Scholasticis derivatum est ad alios Theologos & hinc ad *Concilia* transiit, nam primo in Concilio Florentino Eugenius quartus hunc numerum definivit; *Sacramentorum veritatem*, inquit, *sub hac brevissima redigimus formulâ, ut novæ legis septem sint Sacramenta*. Deinde post *Florentinum* Concilium Tridentinum arripuit & Anathema denuntiavit quibuscunque septem negantibus. Vid. *B. Job. Cr. Gerhard. dissert. in Concil. Trident. articul.* Sed ad Autorem nostrum, qui ita scribit: „ Septem sunt Sacramenta, non tamen „ omnia diligenter observata, quibus discrimen „ facit inter Pontificiorum Sacramenta, quæ „ omnia stricte observari debent.

(*b*) *Dant infantibus Eucharistiæ Sacramentum*] Hic *Jacobitæ* cum *Æthiopibus*, *Græcis & Armenis* conveniunt. Audiamus *B. Johum Ludolf. lib.* III. *cap.* 6. *Histor. Æthiopic.* ita differentem: „ Statim post Baptismum adultis S. Cæna dabatur, infantibus quoque, ne pejoris conditionis esse viderentur, antiqui è Sacro calice, cui „ intrita erat Sacri panis particula, in osculum „ eorum guttulam instillaverunt, quasi eorum „ eadem prorsus ac adultorum ratio esset. Quod „ in Latina Ecclesia diu observatum, Æthiopes cum Græcis & Armenis adhuc hodie retinent". Confirmat hoc *B. Danhawer. in dissertat. edit. Argentorat.* inquiens: „ Errore „ etiam ex antiquitate exhausto infantibus quam „ primum baptizantur, cænam sub utraque specie porrigunt". vid. *Schweig. itin. pag.* 293. Docent hoc omnes, qui de eorum moribus scripserunt, idque defendunt dicto Joh. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At non Æthiopes

Infantibus apud illos Eucharistiæ datur Sacramentum.

pes tantum sed & reliqui Orientalis Christiani, *Maronitæ, Nestorian, Jacobitæ, Georgiani* id in more positum habent, teste *Gabriële Sionita Maronita* apud *Nibus. de Commun. Orient. sub specie una n. 2. pag.* 1667. De *Jacobitis* seu *Coptitis* idem testatur *Wanslebius l'Histoire de l'Eglise d'Alexandrie lib.* II. *cap.* 21. *n.* 2. & ita de aliis Orientalibus, uti *Censura Orientalis Ecclesiæ à Stanislao Socolocio in Latin. conversa cap.* 10. affirmat his verbis: *Non tantum autem baptizamus infantes, sed etiam cœnæ dominicæ, ita uti dictum est, participes facimus.* Docet enim Magnus *Basilius*, eos, qui ex Spiritu Sancto regenerati sunt, spirituali etiam alimento opus habere. Et ipse Dominus graviter interminatus est Joh. VI. Necessarium igitur omnibus ad salutem utrumque Sacramentum esse putamus Baptismum & Sacram Communionem. Discrepant Autores & fortassis ipsæ Ecclesiæ ratione utriusque specici. Scriptores Romani plerique referunt, exiguo tantum vino linguam infantium tingi; quod nimirum facile vinum exsugunt, panem vero absorbere nequeant. Verba sunt *Gabriël. Sionitæ.* Unde quidam sic inferunt, Orientales credere sub alterutra specie integram præberi Eucharistiam, sed illi sic minime argumentantur. Alii scribunt sub utraque specie id fieri. De Græcis testatur *Thom. Smith. de Eccles. Græc. pag. m.* 161. De Æthiopibus habemus testimonium *Alvarezy*, qui dicit, cum stupore adspici magnum periculum infantium, qui ægre deglutiant panem satis crassum, ut non nisi aqua per fauces defluere faciant.

CA-

CAPUT X.

De Baptismate.

SUpra diximus in capite de Forma Templi esse locum Baptismatis fonti destinatum, in quo est Piscina, quæ Baptismatis tempore aqua adimpletur; quo peracto Sacerdos una cum ministris sacris prius indutis vestibus ad fontem accedit, unaque omnes varias orationes & hymnos à Sacerdote prius inchoatos lingua Coptica canunt, postea sequuntur Epistolæ & Evangelium, ut supra in celebratione Missæ diximus. Incipit deinde Sacerdos præfationem canere, atque omnes fere orationes & preces, quibus in mensa utimur, recitat. Inde (*a*) aquam consecrat (*b*) cui salis & olei benedicti aliquantulum admiscet. Offert vero infantulum (*c*) quadraginta dies natum, (*d*) Pater lustricus, nec ulli fas ne matri quidem aut obstetrici (*e*) Ecclesiam ingredi nisi cogat necessitas: ac prius accensis multis lampadibus & candelis, adstantem coram fonte patrem lustricum interrogat (*f*) Sacerdos, an Sacra Baptismatis aqua ablutum velit puerulum? quo annuente (*g*) exorcismum recitat, (*h*) & multas ceremo-

nias licitas, quemadmodum multæ solent nationes, ac infantulum manibus prehendens (*i*) totum in aquam ter immergit addens verba illa (*k*) quibus utuntur Christiani in Sacramento, nempe, *Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, acceptoque (*l*) albo linteo puerulum abstergit, & (*m*) oleo Sacro confirmat, omnesque articulos ungit. Postea Sacerdos ipsum (*n*) vestibus induit; & cingulo (de quo supra) cingit nec potest a quoquam nisi ab aliquo Sacerdote post triduum dissolvi; ac tunc quidem iterum infantem spoliat & aqua limpida eundem in vase figulino abluit, quam postea in fluvium vel locum aliquem ubi possit evanescere ejicit, Baptismatis vero aqua per foramen aliquod in subterranea loca emittitur. Baptismus (*o*) his per annum solenniter celebratur, primo quidem Dominica Passionis, & tum datur infantibus ut supra diximus.

Sed ut in primo capite diximus (*p*) Circumcisionem diligenter observant, & hæc quidem fit (*q*) die Octava post partum. Neque tantum in majoribus urbibus observatur, ubi est magnus hominum numerus, verum & in pagis & ruri rigidissime tenetur.

NO-

NOTÆ AD CAPUT X.

(a) *Aquam consecrat*] Ex verbis & aliis ceremoniis hoc perficiebat, cum adultos in piscina, de qua supra dictum, baptizare vellet. Sacerdos, adultorum baptismum peracturus, à lectione *Psalmi* LI. orditur, & suffitu thure facto nomina baptizandorum requirit: deinde recitatis aliquot orationibus & Diacono auditores sæpius hortante ut orent, oleo Sacro diversas corporis partes ungit, manumque capitibus singulorum imponit. Consecrat autem aquam ut instar aquarum Jordanis qua munda facta sunt peccata hominum quorumcunque. Quo facto Neophyti dextram erigunt & occidentem respicientes, Satanam ceu tenebrarum Principem abjurant. Mox Orientem versus, tanquam ad Justitiæ Solem conversi, erectis alte dextris, veluti Sacramentum Christo dicunt, & præeunte Presbytero Symbolum fidei profitentur, eoque interrogante, credere se respondent. Post quæ unctio iteratur & aliquot pericopæ ex Euangelio Johannis, Actis Apostolorum & Epistolis Paulinis leguntur, addita Liturgia consueta. Aquæ Consecratio.

(b) *Cui salis & olei benedicti aliquantulum admiscit*] Hunc ritum cum Æthiopibus communem habent, qui etiam oleum in aquam baptismi immissum in modum crucis, vel ut *Jacobitæ* in modum X diffundunt; Ita *Sal* injiciunt, quod in lustrationibus Gentilium quoque adhibebatur. vid. celeb. *Joh. Lomeier. elegantiss. libr. de lustratio. veter. pag. m.* 229, 230. Nam Gentiles in lustrationibus suis adhibebant *Sal*. vid. *Tibull. lib.* III. *eleg.* 4. *Valer. Flacc. Argonaut. lib.* III. Illi salis aliquantum & olei additur.

 vers.

verſ. 420. & Aquam. vid. *Stat. lib.* IX. *Thebaid. Genſ. de victim. hum. part.* II. *pag. m.* 109.

(*c*) *Quadraginta dies natum*] Non ſtatim poſt partum vel aliquot dies poſt illum baptizatur infans; ſed quadraginta dies natus, quæ doctrina ſane erronea, quam fovent *Jacobitæ*, quando Baptismi collationem in quadrageſimum usque diem differunt, etiamſi mortis periculum incurrat infans. Ita de illis referunt *Thomas à Jeſu*, *Alexander Roſſ. in lib. de Religion. Philipp. à SS. Trinitate* aliique. Mos hic Jacobitarum haud probandus, quia præter neceſſitatem nullatenus baptismus differendus, ſed quam primum fieri poteſt nato infantulo conferendus, nec absque graviſſima cauſa ad octavum, nedum ad quadrageſimum usque diem differendus. Confer. in hanc rem, quæ habet *B. P. Gerhard L. de Baptiſm.* §. 246.

Pater lu-
ſtricus.

(*d*) *Pater luſtricus*] Per luſtricum patrem nihil aliud intelligit Autor, quam *Suſceptorem*, qui olim in Eccleſia Orientali præſto erat, qui adſcendentem è flumine vel lacu juvat & attollendo quaſi ſuſcipit. Cum ergo nobis hic cauſa datur, uberius de hac materia diſcurrendi, quia non omnibus obvia & tamen ſcitu neceſſaria, cum adhuc hodie ſuſceptores in Eccleſia noſtra, dum infans baptizatur, adſunt. Sciendum igitur *Suſceptorum* incunabula quosdam ab ipſius populi Iſraëlitici moribus divinare, trahentes eo locum *Eſai.* VIII. 2. *Edixit Jehova ſume tibi volumen magnum & inſcribe illi ſtylo humano* MAHER-SCHALAL-CHAS-BAZO *quamobrem adhibui mihi teſtes fidos*, Uriam *Sacerdotem* & Zachariam *filium Jeberecia*. At plane ἀπροσδιόνυσος: (1) quia viri illi non vocabantur in teſtes Circumciſionis filii Prophetici, ſed ipſius Prophetiæ,

ut

ut optime observarunt Interpretes Belgæ. Quibus consonat *Fererius*. (2) Quia in parvulorum circumcisione Judæi non duos admiserunt testes sed unum tantum, quem אב הברית *patrem fœderis* appellarunt; vel etiam quandoque סנדק i. e. *Susceptorem*. Quamvis subsequentibus temporibus etiam plures ad *decem* scil. admiserint. In baptismate autem Proselytorum *tres* requirebantur, ut apud cl. *Buxtorffium Lexic. Rabbin. fol.* 1512. *Selden. de Jur. N. & G. lib.* II. *cap.* 2. *pag. m.* 139. aliosque videre est. Neque speciosius alii *Susceptorum* originem Christi Apostolorumque temporibus attribuerunt; cum nulla ejus in Scriptis Evangelicis & Apostolicis vola vel vestigium sit. Meminit persæpe historia Sacra Baptismi & Baptizatorum, sed susceptorum nunquam & nullibi. Fuerunt ergo, qui ad *Hyginum* (quidam legunt *Hyginum*, alii *Iginum*, sive *Iginium*) Episcopum Romanum, qui sedit circa A. CLIV. Susceptorum primordia retulerunt. Ita *Polydor. Virgil. de Invent. lib.* IV. *cap.* 4. quem secuti sunt plures, sed lubrico fundamento. Qui itaque accuratius hic videri volunt ἱστορεῖν, ad tempora *Tertulliani*, qui seculo III. floruit, maluerunt descendere: prout citra omne dubium is etiam est, qui primus omnium in Scriptis suis ἀναδόχων horum meminit, *libro de Baptismo*, ubi hæc extant verba *capit.* XVIII. Quid enim necesse est, si tam necesse, SPONSORES etiam periculo ingeri, cum & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possint, & proventu malæ indolis falli. Sed adhuc dubitamus, an etiam hinc satis liqueat *Susceptorum* advocandorum morem ante ejus tempora neutiquam extitisse. Nam, præterquam quod de eo loquatur *Tertullianus* non tanquam de re nova & recenter in-

troducta, sed usitata modo & exemplis antecedaneis procul dubio usurpata; justam quoque hujus consequentiæ ἀπόδειξιν non videmus; Tertullianus suo demum tempore meminit *Susceptorum*, ergo ejus tempore demum esse inceperunt; nihil enim videtur obstare, quo minus tempore quantulocunque esse potuerint, ut ut a nemine hactenus descripti vel in historiam relati. Malimus ergo cum clar. *D. Hornbeeckio part.* I. *pag.* 500. *Vet. & Nov.* nullum hic præcisum tempus determinare sed asserere cum ipso, *probabilissimum esse eo tempore morem hunc observari cæpisse, quo certatim ex Gentibus plurimi ad Christianam fidem adducerentur atque baptizarentur, quo tum certiora de fide & constantia conversorum testimonia, & sponsionem haberet Ecclesia sponsores illi baptizandis additi fuerunt, neque infantibus solum, vel qui in infantia à fidelibus orti parentibus baptizabantur, sed adulti etiam ob dictam causam.* Quibus verbis innuit simul vir doctus, duas in Veteri Ecclesia Susceptorum vel sponsorum species extitisse: *Adultorum* unam, *Parvulorum* alterum. Et has duas species in Jacobitis nostris deprehendimus. Morem hunc quoque juris humani esse Voet. *de Politia Eccles. p.* I. *lib.* II. *pag.* 712. ostendit. Quamvis autem ex indifferentium genere sint; attamen negari non debet (1) semper aliquem vel aliquos esse oportere qui pro *baptismo* infantulorum fide jubeant. (2) Finem hujus Susceptionis semper esse debere, ut obligent se suscipientes ad infantulorum eorum educationem sollicitissimam & institutionem. Hinc sequitur quod *Susceptores* non esse debeant hæretici, nec aperte impii, nec ætate minores, qui nesciunt quid spondeant; Unde male actum ab iis dicimus, qui tam inconsiderate ad *fidejussionem* hanc

pro-

provolant, parum advertentes, qualem conscientiis suis laqueum temeritate sua injiciant? Nec non illos carpimus, qui solis sæpe obstetricibus vel quibusvis aliis, infantem ad baptismum gestantibus, quos vel quas pro testibus haberi tamen nolunt, responsionem, ad publica Ministri interrogata imponunt, vel rogati in se suscipiunt; præsertim vero illos, qui vix ulla præstandi ejus, quod promiserunt, sollicitudine tanguntur, sed totum hoc negotium absolvisse se probe putant, modo coram baptisterio vel suggestu cum parvulis se decore stiterint, voculam consensus ITA pronunciarint, & donis baptismalibus (de quibus ne somniavit quidem antiquitas) honori & existimationi suæ satis consuluerint. Quam male autem hoc fit *Elias Cretensis Resp. ad Dionys. Monach. pag.* 340. ostendit ita disserens: „ Susceptores si probe nossent, quæ à Magno *Dionysio* definita sunt, & quæ ab illis cura exigatur & sollicitudo de eo, qui per spirituale lavacrum regeneratur, & ab his suscipitur, segnius quidem ad susceptorum ministerium prodirent, etiam ardentius invitati". Magnum siquidem munus ipsis imponitur, cum injungitur ipsis cura educationis bonæ, quam si intermiserint, rationem reddere oportet sub pœna gravissima, uti bene *Bucerus de regn. Christ. lib.* II. *cap.* 9. *Imo vero*, inquit, *impii se plagii obligant, qui quos Baptismate Christo Domino consecraverunt, non etiam summo elaborant studio ad Christi obsequium instituere atque formare.* Nam istud negligentes, quod in ipsis est, suos liberos, quos Domino addixerunt, rursus rapiunt, produntque & mancipant Satanæ. Hoc observantes *Jacobitæ, Susceptores* vel *Susceptrices* semper requirebant. de Susceptor. vid. *B. Musæi dissert. de rit. baptis. edit. Jen.*

 (e) Ec-

Baptisma tantum fit in Templo.

(e) *Ecclesiam ingredi*] In solo templo Sacramentum hoc administrandum esse *Jacobitæ* putant, quod nemini intrare liceret nisi *Patri lustrico*. Turpiter *Jacobitæ* seu *Coptitæ* hic impingunt, dum opinantur, nullius esse efficaciæ Baptismum, qui non fit à Sacerdote, & quidem in templo administratus quacunque tandem necessitate interveniente, siquidem vera sunt quæ de illis tradit *Thomas à Jesu lib.* VII. *cap.* 5. Hæc vero sententia est erronea. Etenim licet minime eamus inficias, quod ordinarie baptismus administrari à Ministris Ecclesiæ debeat; quin & hoc fatemur, satius esse, si Baptismus in publicis conventibus Ecclesiasticis, quam privato in loco administretur, ut Baptismus, quantum ad substantialia recte collatus, sua careat efficacia, si vel ab alio quopiam homine fideli, vel extra Ecclesiasticum conventum in casu necessitatis fuerit administratus. Prolixius id possemus probare, nisi Theologi gravissimi hoc præstitissent. Evolvatur *B. Gerhard. Loc. de baptismo*.

Ritus observati circa susceptores.

(f) *Sacerdos interrogat*] Adstantem *Susceptorem*, qui in administratione baptismi adhibebatur, uti in nostris Ecclesiis adhuc moris est, ubi Sacerdos non modo susceptores interrogat, qui loco infantis respondent. An autem apud *Jacobitas* in Baptismate conferendo solum interrogaverit Susceptorem; an Baptismatis aqua ablutum velit merito dubitatur: nam extra omnem dubitationis aleam ponimus, illos ritus baptismales in Orientali Ecclesia receptos usurpatos esse, qui sequentes fuerunt (1) Susceptores, qui nomine baptizandorum Diabolo renunciabant fidemque Christianam profitebantur, Sacerdos prius interrogabat. (2) Professionem Christianæ fidei ad interrogationes, quam adulti ipsi, pro infantibus autem

Pa-

Patrini reddebant, postulabat, cujus ritus *Ambros. Tom.* IV. *Oper. lib.* II. *de Sacrament. cap.* 7. *pag.* 434. his verbis meminit: *Interrogatus es: credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti credo. Iterum interrogatus es, credis in Dominum Jesum Christum & crucem ejus? dixisti credo. Tertio interrogatus es: credis in Spiritum Sanctum? dixisti credo.* (3) Interrogabat Sacerdos an velit aqua baptismatis ablui infantulum? & respondebat affirmando. conf. *B. Musæi dissert. cit.* §. 14, 15. *seq.*

(g) *Exorcismum recitat*] Exorcismus, qui *Isidoro lib.* II. *de off. Eccles. cap.* 70. est sermo increpationis contra Spiritum immundum in energumenis & Catechumenis factus, per quem ab illis Diabolis nequissima virtus, & inveterata malitia expulsa fugatur; cujus tamen nomine hoc loco non denotamus actiones illas primitivæ Ecclesiæ miraculosas, quibus Apostoli, eorundemque successores homines corporaliter obsessos liberare, & nomine Christi invocato Satanam depellere consueverunt, quod speciale donum in Apostolis cæpit *Matth.* X. 1. & diutissime in Ecclesia etiam post Augustini duravit tempora: Mentionem ejus quoque faciunt *Justinus Martyr in Dialog. cum Typhon. Tertullian. lib. de corona milit. & Apolog. cap.* 32. *Cyprian. lib. de Demet. Lactant. lib.* II. *Instit.* 16. *lib.* IV. *cap.* 27. & plurimi alii Patres? Sed Diaconicum vel ministeriale Sacerdotum verbi imperium per Dei authoritatem adversus Satanam cujus potestate homo baptizandus captivus tenetur. Ritus illius antiquissimi Patres mentionem faciunt. *Cyprianus* baptismi efficaciam solenniter deprædicans per *exorcismum* voce humana & potestate divina Spiritus immundos (spiritualiter intellige) flagellari

Exorcismus.

ac torqueri ait *lib.* IV. *epist.* VII. *Optatus Afer* Milevitanæ Ecclesiæ in Numidia Episcopus *Bibl. PP. Tom.* IV. de Schismate *Donatistarum* contra Parmenianum *lib.* IV. *col.* 595. scribit: *Neminem fugit, quod omnis homo, qui nascitur, quamvis de Christianis parentibus nascatur, sine Spiritu mundi esse non possit; quem necesse sit ante salutare lavacrum excludi & separari.* Ambrosius, Episcop. Mediol. sua quoque ætate Exorcismum baptismo præmissum esse *Tom.* IV. *lib.* I. *de Sacram. cap.* 5. *pag.* 531. his verbis indicat: *Ubi primum ingreditur Sacerdos, Exorcismum facit; secundo super creaturam aquæ invocationem, postea & precem defert, ut sanctificetur fons & adsit præsentia divinitatis æternæ.* Consentit *Chrysostom. homil. de Adamo & Eva.* Cui adjungamus *Augustin. lib.* VI. *contra Julian. Pelag. cap.* 2. *Justin. Martyr. dial. cum Triph. Tertullian. in Apolog. cap.* 23. *num.* 970. aliique plures. Erant autem exorcismi duæ partes; quarum una dicebatur *exsufflatio*; altera *adjuratio*. His enim verbis: EXI IMMUNDE SPIRITUS, ET DA LOCUM SPIRITUI SANCTO, Sacerdos ritum afflationis addebat, ut sicut Salvator Apostolos suos afflans Spiritum S. eis dedisse legitur Johann. XX. 22. Ita etiam malo Spiritu pulso Spiritum Sanctum baptizato dari significaret. Quando autem adjurabat, & Satanæ imperabat, istis verbis uti solet: *Exorcizo te immunde Spiritus, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, ut exeas & discedas ab hoc famulo Dei.* Quæ verba partim in Scriptura Sacra N. T. expresse habentur, partim inde evidenter deduci possunt: ὁρκίζω enim Marc. V. 7. & 1 Tim. V. 27. ἐξορκίζω vero Matth. XXVI. 63. legitur, & proprie significat per Dei nomen adhibitum & juramento quasi invocatum aliquid mandare

dare & præcipere. Derivatur enim verbum illud non ab *Orco*, ut quidam impudenter fingunt; sed ab ὅρκος, quod juramentum significat. vid. *Francis. Rous in Archaeolog. Attic. edit. Oxon.* nominisque divini invocatio & contestatio est, uti ex adductis patet. conf. *Eilhard. Lubin.* in Thes. de formula verborum, quæ Baptismo declarationis causa præmitti solent.. Ex quibus constat, verbum ἐξορκίζειν generaliter significare, Deo ultore & vindice per juramentum quasi invocato aliquid imperare, & idcirco non satis candide illos agere, qui contendunt, hocce semper corporaliter obsidentibus diabolis ab homine obsesso expellendis usurpari, ut illud imperitis odiosum reddant: hæc enim significatio specialis est, & non pertinet ad præsens negotium in quo Exorcismus adjurationem denotat, quo invocato Dei nomine, auxilio & vindicta aliquid imperatur. Volentes igitur primitivæ Ecclesiæ Patres indicare, baptismi virtute atque efficacia Satanæ in hominem vim destrui & immane imperium, quo omnes spiritualiter captivos pro sua libidine in omnis generis flagitia præcipitat, actioni baptismali verba exorcistica præmiserant, qua idem significant, ac si diceretur: *Instantanea baptismi actio in hunc finem à Deo instituta est, ut per eam tua, Satan, in hoc homine spirituali vis, potestas ac tyrannis destruatur; Adjuro ergo te Sacro-Sanctæ Trinitatis authoritate, cujus nomine hunc hominem baptizabo, ut scias, nihil te amplius habere juris in eo, qui ab originali, & ab omnibus suis peccatis sanguine filii Dei, in lavacro regenerationis, quod simul renovatio Spiritus Sancti est* (Tit. III. 5.) *abluitur, & super te Satan ultorem & vindicem Deum advoca, nisi ab hoc baptizando, qui jam ex filio iræ filius Dei renascitur, facessis.*

(*b*) *Et*

Ceremoniæ variæ.

(*b*) *Et multas ceremonias licitas*] Uti sunt (1) χειροθεσία manus impositio à Patriarchis, Prophetis, Christo & Apostolis (quorum imitatores esse volunt Jacobitæ) facta, referente *B. D. Joh. Gerhard Loc. Theol. Tom.* IV. *pag.* 1173. in quinque Casibus usurpatam legimus. (1) In benedictione Marc. X. 16. (2) cum Sacerdotes victimam adducunt ad altare Levit. III. 2. (3) Si quem voluerunt miraculose curare Marc. XIV. 18. (4) Quando conferri debuit Spiritus S. Act. VIII. 17. (5) Si quis ad ministerium ordinandus. Num. XXVII. 18. Act. XIII. 3. adhibetur tamen etiam id administratione Baptismi, exemplo Christi benedicentis infantibus sibi oblatis Matth. XIX. 1. & Ananiæ imponentis manus Paulo baptizando. Act. IX. 17. Hinc Gregor. Magnus in Sacramentario scribit: *Imponit etiam manum Presbyter in frontibus eorum.* vid. *Tertull.* I. de baptismo. *Cyprian. lib. de Hær. baptism. Hieronym. advers. Luciferanos.* (6) *Signum Crucis*, quo baptizandi teste citato Gregor. in Sacramentar. qui his verbis asserit: *Signaculum Salvatoris nostri Jesu Christi in frontem tuam pono & similiter in pectus, qui ritus adhuc in Ecclesiis Saxon. superioris, ubi Pastor dicit:* Nimb an das Zeichen des Heiligen Creutzes an der stirn und brust / non superstitionis aut supernaturalis cujusdam effectus causa, sed in memoriam crucifixi Salvatoris, extra quem se nihil intelligere affirmabat Paulus 1 Cor. II. 2. & quod baptismi Candidatus recipiatur in numerum eorum, qui credunt in Jesum crucifixum, qui veterem hominem crucifigunt, & in hac vita cruci multoties obnoxii sunt. Ita enim Episcopus Hipponensis conc. 3. in Psalm. XXX. *Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria*

Chri-

Christianus erubescat. Et Enarrat. Pf. CXLI. *Usque adeo de cruce non erubesco, ut non occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem.* Ita de *Jacobitis* vel *Coptitis* testatur *Philip. à SS. Trinitate in Itin. Orient. lib.* V. *c.* 9. quod Alexandriæ & Cairi libros suos non amplius circumcidi curent, sed signo saltem CRUCIS in fronte vel manu signent, ut tanquam Christiani dignoscantur. (3) Tangebat Sacerdos *os* baptizandi *sale* & gustandum tradebat, ut fætore inquietatis deinceps careret, nec vermibus peccatorum ulterius corrumperetur ut apud *Gregor. in Sacram. Isidorum de offic. Eccles. cap.* XX. qui est de Catechumenis, exorcismo & Sale, & *Bedam. lib.* II. *Eudr. cap.* 9. videre est. Et, qui alii sunt ritus.

(*i*) *Totum in aquam ter immergit*] Erat, quod ambabus largimur manibus ordinarius baptizandi modus *merſio* non solum apud Jacobitas, sed in tota Ecclesia Orientali, in qua hodienum adhuc observatur, attestantibus illud de Græcis *Antonio Arcudio in Euchologio*, de Syris *Severo, Patriarcha Alexandrino in rituali, vel libro de ritibus Baptismi*, quem *Guido Fabricius* Boderianus Latine edidit, & *Margarinus de la Bigne* inseruit *Bibliothec. Patrum Tom.* VI. *p.* 43. *& seq.* de Christianis *Abyssin. Ordo Baptismi secundum usum Æthiopum ib. pag.* 101. urgente tamen necessitate extraordinarie etiam per aspersionem conferebatur baptismus. — Ter in aquam totus immergitur infans.

(*k*) *Quibus utuntur Christiani*] *Baptizo te in Nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, cum *Jacobitis* & aliis Christianis conveniunt Æthiopes, uti ostendit *B. Jobus Ludolf. in histor. Æthiopic.* conferatur huc etiam *Johan. Ulric. Wild. diss. de Eccles. Æthiop.* sub præsidio *B. Joh. Conrad. Danhauer. Argentorat. habita* 1672. *Matth. Zimmerman. de Vet. Eccles. morib.* Rejiciunt hinc me- — Quænam in illis cum reliquis Christianis convenientia.

merito cum Doctoribus Ecclesiæ hæreticorum veterum formulas, quas commemorat *Alphonsus de Castro in Summa de Hæres. verbo Baptismus hæres.* 2. & omnes alias formulas baptizandi, sub trium personarum peregrina expressione factas, uti: *Baptizo te in nomine primæ, secundæ & tertiæ personæ*; Idem: *Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti & Procedentis ab utroque, seu spirati*, quam *Thomas de Vio Cajetanus in* III. *part. Summæ q.* 66. *Art.* 5. pro receptis à Christo verbis substitui posse asserit, cum tamen contrarium apud *Valentiam pag.* 760. *in lib.* IV. *Sent. distinct.* 3. statuant *Alexander de Ales. q.* 13. *Membr.* 3. *art.* 3. §. 1. *Richardus de Media Villa q.* 3. *art.* 2. *q.* 3. *Durandus, Scotus distinct. ead. q.* 2. *Bonavent. dist. ead. part.* I. *artic.* 2. *q.* 3. *Marsilius q.* 3. *art.* 4. *Gabriel. Biel. q. unic. art.* 3. *dub.* 1. aliisque.

Absterfio infantis linteo albo.

(*l*) *Linteo albo*] Linteo albo infantes abstergebantur & involvebantur, ad significandum purgatum & ablutum esse infantulum à peccatis, id quod in Ecclesiis nostris adhuc moris est. Olim enim infantum baptizandorum hic habitus fuit, de quo eleganter *Pontius Paulinus*, referente *Guilielmo Stuckio in antiquit. Convival. lib.* II. *fol. m.* 139. *edit. Tigur.*

Inde parens Sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos, corpore, corde, habitu.

Et *Lactantius* in carmine de resurrectione Dominica:

Rex sacer ecce tui radiat par magna trophæi
Cum puras animas Sacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.

Ful-

Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

(*m*) *Oleo sacro confirmat*] Oleo benedicto ungebantur infantes, cum invocatione SS. Trinitatis, quo baptizandi mens in fide confortaretur, & ad bona opera facienda per Dei gloriam undique muniretur & *ante* & *post* baptismum, quem ritum *Jacobitas* observare Autor noster confirmat. Hujus ceremoniæ meminit *Tertullianus l. De corona milit. Origenes homil.* VII. *in Ezech. Cyrillus Hierosolymit. Catechef. Mystagog.* II. *col.* 190. & III. *col.* 701. *Gregor. Nazianzen. Orat. in Sanct. lavacr. Ambrosius de iis, qui initiantur mysteriis cap.* 6. *pag.* 424. & *lib.* II. *de Sacr. cap. ult. pag.* 434. *Cyprian. lib.* I. *Epist.* 12. *August. in Johann. Basilius libr. de Spirit. S. Chrysostom. Homil.* VI. *in cap.* 2. *Epist. ad Coloss. ubi scribit:* Inungitur baptizandus more Athletarum, qui stadium jam ingressuri sunt. Et post baptismum monet *Cyprianus epist.* 70. ad Januar. *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate i. e. unctione, esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit.* — Confirmatio per Sanctum oleum.

(*n*) *Vestibus induit*] Quales fuerint ex præcedentibus facile patet, quod scil. fuerint albæ vel candidæ juxta consuetudinem Ecclesiarum Orientalium, quarum ritus *Jacobitæ* sequebantur. Meminit etiam *Socrates lib.* VII. *cap.* 17. candidæ hujus vestis, quæ dabatur Baptizatis. Loti semel salutifero fonte, nunquam stolam candidissimam, quam suscipiunt in baptismate, inquinare docentur. Rabanus Maurus Moguntinus Episcopus lib. de institut. cler. I. cap. 29. Post baptismum traditur Christiano vestis, designans puritatem & innocentiam. *Nazianzen.* in orat. de Sancto la- — Vestium indutio.

lavacro, illud dicit à Christianis variis nominibus appellari, inter quæ ἔνδυμα ὡς αἰσχύνης κάλυμμα, id est, *ceu turpitudinis tegumentum*. Hinc *Ammonius Monachus lib.* III. *de gestis Francorum* mentionem facit pueri occisi, qui adhuc, ut ille loquitur, erat in albis regenerationis, hoc est, qui recens erat baptizatus, nondum baptismalibus illis atque candidis vestibus exutus. Nam adulti qui baptizabantur in vigilia Paschatis, incedebant veste candida induti per octo dies, ac vocabantur *albati*, sive *in albis*, atque octavo demum die vestem albam deponebant: quibus adde, quod ut Tertullianus docet libr. De corona milit. ex ea die, qua erant baptizati, lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinebant. Et quoniam Paschatis hebdomada, antiquitus plures una tingi consueverunt, ea de causa feriæ illæ, quæ ad hoc omnes institutæ sunt, & quæ subsequitur hebdomada atque Dominica quam nos, *Quasimodo geniti* nominamus, in albis der weisse Sontag/ fuit appellata. vid. B. D. Joh. Musæi differt. de ritib. Baptism. Vestis hæc candida in Baptismo Symbolum erat cum ipsius Christi, quem electi fide induunt, secundum *Paulum Ephes.* IV. *Col.* III. tum illius munerum, hoc est, justitiæ, vitæ puritatis, & innocentiæ, libertatis, victoriæ, gloriæ, immortalitatis, quam ex aqua & Spiritu regenerati consequuntur, de quo pluribus differit Ambrof. libr. de iis, qui initiantur mysteriis cap VII. Ut ergo olim apud Romanos candida vestis, qua servi à Dominis decorabantur erat insigne illorum manumissionis: sic candida illa baptismi vestis signum erat illis ex manibus Diaboli & peccati immanissimis esse liberatos, ut posthac Deo ceu Patrono suo fidelissimo servirent vitæ puritate ac sanctitate. Præterea

Albati quinam.

cum

cum candidus color olim victoriæ & triumpho fuerit consecratus, candida hæc vestis illos monebat, ut cogitarent sibi in hac vita ceu in militia perpetuo esse cum diabolo peccato atque mundo dimicandum in Christo & vincendum.

(*o*) *Bis per annum*] Baptismus celebratur *Dominica passionis* & *Dominica Pentecostes* apud *Jacobitas*, qui etiam hac in re ritus Orientalis Ecclesiæ imitantur, quæ hæc duo tempora servavit. Omnium tamen celeberrimum erat Pascha, quod baptismus esset passionis & resurrectionis Christi ἀπόῤῥητον σύμβολον. Bis per annum Baptismi functio celebrata.

(*p*) *Circumcisionem diligenter observant*] Uti etiam *Æthiopes* & alii populi adhuc faciunt, ut *Turcæ*, *Arabes*, *Ægyptii*, *Abessini*, de quibus fuse egit celeber. *Herman* von der Hardt *de circumcis. edit: Helmst.* 1700. confer. *Henning Henning. annot. ad Muhammed. precantem edit: Slesvic.* Ita *Jacobitæ* quoque circumcisionem diligenter observant, sed ut potius *regionis*, quam *religionis* sit character. Et dubitandum non est, quin hunc ritum à Judæis hauserint, quibus primum circumcisio demandata à Deo fuit, quamvis *Spencerus* & *Marshamius* velint, Ægyptiorum inventum fuisse circumcisionem & ab his ad Judæos derivatam. Verum quam male, ostendit nobis cl. *Zachar. Grapius in dissert. quam inscripsit*, *An circumcisio ab Ægyptiis ad Abrahamum fuerit derivata*, *edit: Rostock.* 1699. Hic sine dubio, si quis Jacobitas de causa interrogaret, utentur excusatione, qua Abessinorum Rex *Claudius* in confessione sua à *B. Jobo Ludolf.* publicæ luci commissa, hac nempe, *quod non circumcidant se, sicut Judæi, & non ignorent verba Pauli dicentis, circum-* Circumcisio.

cumcidi non prodest, & non circumcidi, non juvat &c. Sed quod circumcisio apud eos in usu sit secundum consuetudinem regionis, sicut incisio faciei in Æthiopia & Nubia, & sicut perforatio auris apud Indos. Verum satius facturi essent, si ritum hunc, ne simplicioribus Christianis scandalum præbeatur, intermitterent. Et dicuntur sane suasu Pontificii ad Synodum Cairensem Legati illam anno Christi MDLXXXIII. abrogasse, si quidem *Thomæ à Jesu* credendum est *lib. de convers. gent. lib.* I. *pag.* 1. *cap.* 6. Alias de *Coptitis* seu *Jacobitis* passim id proditum est ab Autoribus, quod circumcisionem non apud masculos solum infantes, sed apud fæmellas quoque adhibeant. Refert hoc post alios testis *αὐτόπτης Joh. Wild. in Itiner. lib.* III. *cap.* 21. dignus, qui hic evolvatur. vid. *Richard. Montacut. Eccles. part.* I. *fol. m.* 59. Masculos quidem cur circumcidant, prætendere eos solere exemplum Christi, qui itidem fuerit & baptizatus & circumcisus, illustris *Comes Solmensis pag.* 167. commemorat. Cur vero & fæmellas? Ad Judæorum certe exemplum provocare non possunt: sed eas etiam se Christo conformare velle forte asseverabunt.

Die octava. (q) *Die octava post partum*] More Judæorum, quibus Deus mandaverat, ut infantem masculum die octava circumcidere debeant, vid. *Genes.* XVII. 12. Ita etiam Jacobitæ octavo post partum die circumcisionem admittebant, secus ac *Turcæ*, qui tertio vel quarto anno circumcidunt.

C A-

CAPUT XI.

De Sacramento Confirmationis.

(*a*) IN superiori capite Sacramenti hujus meminimus, cum Sacerdotem illud (*b*) infantulo ministrare diximus, (*c*) fit nempe a Sacerdote olei consecratio, quemadmodum confirmatio, neque enim expectat (*d*) donec Episcopus ministret. Ita ut sit hoc discrimen inter Jacobitas & Papicolas in hoc negotio, quod apud hos oleum (*e*) nonnisi ab Episcopo consecretur, apud illos nequaquam. quemadmodum & Confirmatio parvulis una cum Baptismate administratur, idque à Sacerdote; apud Papicolas seorsim, idque ab Episcopo tantum.

NOTÆ AD CAPUT XI.

(*a*) *In superiori capite*] Ubi de baptismate actum hujus mentio facta est his verbis: *oleoque Sacro confirmat* (infantem) *& omnes articulos ungit.* An autem hæc confirmatio cum Pontificiorum confirmatione congruat valde dubitatur, cum & tempore & aliis ritibus differat. Nam apud *Jacobitas* confirmatio in ipso baptismatis actu infantibus confertur, aliter ac *Pontificii*, qui longo tem- Sacramentum Confirmationis.

tempore post baptisma confirmationem faciunt. Quærimus ergo an confirmatio Jacobitarum sit Sacramentum, uti apud Latinos? Hanc si penitius consideramus patet, toto cœlo differre (1) quoad materiam, (2) quoad ministrum, (3) quoad formam (4) quoad finem, uti pluribus paginis ostendit *Johannes Dallæus de Latinorum Sacramento confirmationis cap. 2. pag. m. 5, 6, 7. edit. Genev.* 1659. qui evolvatur & reperiet B. Lector argumenta satis stringentia. Conferatur huc *B. Joh. Frider. Gerhardi speculum Relig. Pontific. de confirmat. edit. Jenens.* 1660. Asserimus igitur *confirmationem Jacobitarum* pro baptismi seu Christianæ initiationis parte rituali censeri. Docet hoc Joannes Damascen. quem constat Anno Domini DCCXXX. floruisse.

In infantibus. (*b*) *Infantulo ministrare*] Confirmationem in baptismate à Jacobitis peragi ostendunt illorum ritus baptismales. Non enim duo diversa baptismi & Chrismatis sunt officia, uti apud Pontificios; sed uno eodemque actu totum continetur, quo ritu cum Græcis conveniunt, ex quorum Euchol. clare elucet, confirmationem Oleo Sacro in baptismate factam esse. Expressis etenim verbis hæc leguntur: *Et post orationem baptizatum Sancto unguento ungit Sacerdos, crucis signum faciens in fronte & in oculis & in naribus & in utraque aure, & in pectore & manibus & pedibus, dicens,* SIGNACULUM *dono Spiritus S. Amen.* Nonne hæc cum iis, quæ in præced. capite de Jacobitis autor noster refert, optime conveniunt? confer *Joh. Dallæum de Confirmatione lib.* II. *cap.* 17. *Stanislai Socolovii annot. ad censuram Oriental. Eccles. pag. m.* 63. *edit. Diling.* 1582. Chrismatis unctionem in Ecclesia antiqua usitatam fuisse patet, quando primo Catechumeni baptizabantur,

hinc

hinc Canon XLVIII. Concilii Laodiceni docet: *Oportet baptizatos post baptismum Chrismatis quoque cælestis & regni Christi participes fieri.* Deinde si hæretici ad Ecclesiam revertebantur, Can. VII. Conc. II. Oecumen. Constantinopol. I. quando de Novatianis & aliis hæreticis loquitur, dicit: *Recipimus eos si hæresin anathemizarunt*, & pergit: *Et signatos sive unctos primum Sancto Chrismate & frontem & oculos & nares & os & aures. Et eos signantes dicimus*: SIGNACULUM *doni Spiritus S.* Theodoretus vero lib. III. hæret. Fab. cap. 5. rationem reddit, cur Novatiani per unctionem sint recipiendi; *His*, inquit, *quos baptizant sanctissimum chrisma non præbent, quapropter eos qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt.* Processum autem reconciliationis hæretici cum Ecclesia nobis refert *Petrus de Marca* Archiepiscopus Parisiensis in appendic. Concil. Claromont. pag. 586. Tom. X. Conc. *Extat*, scribit, *in Bibliotheca regia antiqua collectio veteris cujusdam Theologi, ante annos octingentos consarcinata, ubi suscipiendorum hæreticorum formula describitur* —— *Deinde vero eum Sacro Chrismate ungit, ut fieri solet erga recens baptizatos.* Et paulo post inquit: *Post recitationem orationis ungit eum Sacerdos unguento, ut fieri solet erga baptizatos.* Ex quibus constat, Confirmationem per oleum Sacrum in baptismate factam esse. Vide pluribus differentem *Johann. Dallæum de confirmat. lib.* II. *cap.* 17, 18. Dum vero *Petrus de Marca* addit, *hanc unctionem non esse meram ceremoniam, sed Sacramentum Confirmationis Pontificiæ*, in hoc nos nunquam inveniet consentientes, uti in sequentibus docebitur.

(*c*) *Fit nempe à Sacerdote*] Recte autor noster statuit, quando asserit confirmationem *Jacobitarum* à

Fit per Sacerdotem.

à Sacerdote fieri, ut ostendat *Jacobitarum* confirmationem aliam à Pontificiorum esse. Convenit autor cum Canone XLVIII. Concil. Laodicen. quod vult, *ut baptizati post baptismum chrismatis participes fiant.* Ad hunc Canonem *Severin. Binius* annotavit sequentia. „Ex praecepto „Christi, vel saltem Ecclesiae, baptizatos sub pec„cato ad *Sacramentum Confirmationis* suscipiendum, „dum commode possunt, obligari, colligunt non„nulli ex hoc Canone, sicut ex epistola Melchia„dis, ubi dicit: *Quamvis continuo morituris suffi„ciant regenerationis beneficia, victuris tamen neces„saria esse confirmationis auxilia* &c. (sed hanc Melchiadis epistolam suspectam esse Robert. Cocus monstrat pag. 71. Censur. Patr.) „Haec cum Theo„logorum Scholasticorum & Summistarum alii af„firment, alii negent, sententiae neganti potius „subscribendum putamus". Arbitratur ergo *Binius* agi in hoc Canone de *Sacramento* peculiari, quod CONFIRMATIONEM vocant Pontificii. Et ita quis arbitrari posset *Jacobitas* Pontificiae religioni addictos esse, qui etiam statuant *Sacramentum confirmationis.* Verum magnum discrimen inter *Jacobitarum* & *Pontificiorum* CONFIRMATIONEM intercedit. Hi enim in Ecclesia sua baptizatum continuo illius unctionis seu confirmationis participem fieri volebant, nec in tempus differebant. Exinde egressi de lavacro perungebantur benedicta unctione, qui mos etiam à Christianis veter. observabatur, qui egressi de lavacro ungebantur de pristina disciplina, vid. *Tertull. cap. 7. de baptis.* Contra Romana Ecclesia differt. Audiamus *Hermannum Busenbaum pag.* 420. *Theolog. Moral Medull.* (1) Etiam infantes & rationis impotes valide hoc Sacramentum suscipiunt, (ita & *Jacobitae*). (2) Etsi quoad infantes consultius

sit,

sit, differre usque ad rationis usum; attamen *Jacobitæ* nil Pontificiorum objectiones æstimantes, non differebant. Vetus Ecclesia *Jacobitarum* alia formula utebatur, quàm ea, qua hodie utuntur Pontificii: SIGILLUM DONI SPIRITUS SANCTI, AMEN. uti habetur Can. VII. Concil. Oecumen. Constantin. I. Vid. T. II. Conc. pag. 952. erat forma CONFIRMANDI apud antiquos. Episcopus vero Pontificiæ Ecclesiæ hac utitur: SIGNO TE SIGNO CRUCIS ET CONFIRMO TE CHRISMATE SALUTIS IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. In Ecclesia veteri & ita etiam *Jacobitarum* minister confirmationis potuit esse PRESBYTER. *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* scribit *Hieronymus* ad *Evagrium*.

(*d*) *Donec Episcopus*] Non expectant *Jacobitæ* donec Episcopus ministret, sed Presbyteris confirmandi potestatem absente Episcopo concedunt. Nam in Alexandrina Ecclesia & universa Ægypto Presbyter in absentia Episcopi consignabat *Vales. in annot. ad Euseb. pag.* 135. At in Romana Ecclesia minister hujus Sacramenti solus est Episcopus, & non nisi ob gravissimas causas Presbytero demandandam esse hanc functionem à Pontifice statuerunt Doctores Pontificii. vid. *B. Gerhard Titii Fautoris & Præceptoris nostri olim in Academ. Helmstad. fidelis. Ostens. Summar. à pag.* 102. *usque ad* 108. Recte ergo Autor noster statuit Jacobitarum Presbyteros *confirmationis ritum* complevisse, uti fuse etiam demonstravit cl. *Johannis Dallæus de confirmat. libr. pag. m.* 221. *seq. lib.* II. *edit. Genev.* ubi firmis argumentis illorum sententiam refutat contrarium statuentium. Qui

Confirmatio, absente Episcopo, fit per Presbyterum.

igitur de ritu & potestate hac Presbyt. plura legere desiderat, evolvat citat. Autor. Cum ergo Jacobitarum chrisma mera baptismi ceremonia sit & quidem hujusmodi quæ & à Presbytero conferri possit, concludendum est eam nequaquam esse Latinorum CONFIRMATIONIS Sacramentum. Confirmatio *Jacobitarum* tantum fuit *baptismi* complementum, uti multis de *Græcis* probat ritibus, quorum pars erant Alexandrini, *M. Anton. de Dominis lib.* V. *de Republ. Eccles. cap.* 5. *Daniel. Chamier Panstrat. Cath. lib.* V. *cap.* 11. *pag.* 84.

Olei consecratio. (*e*) *Non nisi ab Episcopo*] Volunt quidem Pontificii oleum non nisi ab Episcopo esse consecrandum, cum tamen hic ritus longo tempore antequam Pontifices Romani potestatem hanc Episcopis darent, in usu fuerit. Initio enim cum primum apud Christianos institutum, ut ungerentur qui baptismo initiarentur, ista unctio apud Latinos æque ac apud Græcos & Jacobitas mera baptismi cæremonia fuit ad quartum seculum; neque aliud discrimen inter hos fuit, quam ut Latini unctis manus imponerent, cæteri autem sola unctione contenti fuerint. Postquam autem in partes itum, Pontifices jus & potestatem hanc conficiendi chrisma Episcopis concesserunt. Eam in rem egregius extat in Pontificiali locus in vita Sylvestri (qui ab anno Dom. CCCXIV. ad CCCXXXV. urbis Episcopus fuit). *Constituit & chrisma ab Episcopo confici.* Hinc plures alii Pontificialis libri testimonio usi in probanda hac sententia, quos adduxit cl. *Johan. Dallæus l. c. pag.* 239. Verum cum hæc Sylvestri lex vel de solo conficiendi chrismatis jure, vel de ipso chrismate intelligi possit; videndum an chrisma in Ecclesia Rom. ante legem non fuerit, an tantum

re-

restricta ad unum Episcopum. Posteriori sensu, lex involvit & inquit, quod illud in Ecclesia Romana fuerit, sed tantum ejusmodi potestatem, quæ hactenus Presbyterorum una cum Episcopis communis fuerat, ad solos Episcopos restringat. Priori modo autem sumpta lex, vult, quod nullus illius antea in Ecclesia Romana fuerit usus & ejus conficiendi potestas penes unum Episcopum sit; Unde concluditur quod chrisma ante Sylvestrum in Ecclesia Romana res nova & antea incognita, & ita nullum Sacramentum est, nec esse potest, quia res nova; cum Sacramentum non nisi antiquum & à Christo ipso institutum esse oporteat, non à Sylvestro vel alio homine, uti pluribus cl. *Johan. Dallæus l. c. pag.* 241, 242. *seqq.* probat & ut erroneam sententiam rejicit, firmisque argumentis ostendit, quod Presbyteri etiam chrisma confecerint, quem ritum etiam Jacobitæ retinuisse autor noster affirmat.

CAPUT XII.

De Confessione Auriculari.

HOc Sacramento ferme (*a*) nunquam utuntur Ecclesiastici, uti diximus, raro Laici, ac tunc severe ac rigidissime exercetur. Multi narrant Historici pecunias in Æthiopia, ubi Jacobitarum religio viget, ab eo qui pœnitentiam agit, satis multas sumere Confessores, cum præterea rigidam

cogantur agere Pœnitentiam. In Ægypto vero non dantur pecuniæ nisi pro modulo ejus qui pœnitentiam agit. Si nihil dederit, tunc à templo abstinere cogitur per aliquod tempus. Quæ vero ab illis Confessoribus pœnitentia exhiberi solet, tam gravis plerumque est, & in tam longum tempus extenditur, ut sæpe sex mensium aliquando unius anni spatium excedat; atque interim Eucharistiæ Sacramentum non participent. Pœnitentiæ hujus talis est ut plurimum ratio: Bis aut ter per hebdomadam à cibo abstinent, aqua scilicet & pane victitantes, perque singulas noctes quinquagies aut centies sese in terram posternunt, osculantur eandem orientem versus, existimant enim unicam esse peccatorum speciem, non autem variam, ut inquiunt Papicolæ.

NOTÆ AD CAPUT XII.

Confessio Auricularis.

(*a*) *Nunquam utuntur Ecclesiastici*] Quartus Jacobitarum fidei articulus referente Eduard. Brerewodio in Scrutinio religion. pag. m. 102. ex Bucebing. hist. Eccles. pag. 331. part. II. hic est: *Peccata sua Deo soli plerumque* (*Jacobitæ*) *Sacerdoti raro confitentur, ita ut multi absque confessione auriculari communicent.* Ut ut ergo confessionem oris sive auricularem, quæ Sacerdoti fit, minime essentialem pœnitentiæ partem esse doceamus; adeoque nec absolute ad consequendam peccatorum remissionem necessariam esse statuamus, idque ob rationes, quas è Sacris literis adduxit

duxit B. D. Gerhard. in Confess. Cathol. artic. XVI. cap. 2. & 4. haud quaquam tamen simpliciter ex Ecclesia eliminandam esse eam censemus, quin potius ob insignes quosdam usus, quos Theologi recensent (vid. B. D. Thumm. in impietat. Weigel. error. 67. seqq. B. D. Balduin. ad Artic. Smalkald. Disp. XIV. §. 23, 24. D. Stegman in Photinianism. Disp. XXII. cap. 2.) retinendam putamus; cum antiquissimis temporibus, in Ecclesia quoque Judaica confessio peccatorum obtinuerit, argumento dicti Scripturæ Num. V. 6. *Et confitebuntur peccata sua, quæ fecerunt.* Ideo necessum esse ajunt, in festo expiationis peccatorum suorum confessionem edere. Ad quam rem etiam habent Confessionum certas formulas, modo breviores, modo longiores.

Hic desinunt Jo. Nicolai *Annotationes MSS, paucis pagellis, quæ reliquæ erant, vi avulsis & diaceratis.*

CAPUT XIII.

De Sacramento Eucharistiæ.

Eucharistiæ Sacramentum singulis Dominicis & festis diebus ministri, una cum Sacerdote missam celebrantes, idque absque Confessione (ut supra diximus) sumunt; solent tantum vigilia, quæ festum antecedit, parare se, & a Cibo & potu nocte illa

illa abſtinere. Laici vero peracta Pœnitentia quam præceperat Confeſſor, religioſe & collacrymantes ad portam Sanctuarii nudo capite accedunt, ibique ſtantes linteum manibus tenent: Sacerdos vero fruſtum hoſtiæ dat illis, & Diaconus poſtea Cochleari aureo vel argenteo, vinum è Calice porrigit. Pariter ſi *Sacra Baptiſmatis* unda abluantur quidam infantuli, quod ſolet etiam alias fieri quam duabus illis vicibus de quibus ſupra, ad oſtium à Patre luſtrico afferuntur, ac tunc Sacerdos fruſtulum hoſtiæ puerili ori immittit, & digito in calicem injecto ori ejus admovet. Similiter ſi infans quiſpiam conſtituatur Diaconus vel Subdiaconus &c. Quod ſæpe fit, ubi Pontifex aliquis miſſam celebrat, ab eodem in Sanctuarium intromittitur.

CAPUT XIV.

De Sacramento ordinis.

HUjus Sacramenti meminimus cum de baptiſmate egimus, ubi diximus non haberi rationem ætatis in adipiſcendo quovis ordine præterquam in Sacerdotio, omnes alios interim tam majores quam minores

res qualicunque ætati tribui. Fit vero hoc modo; exempli gratia, si puerulus aliquis creetur Diaconus, cum non patiatur ætas rudis admodum & tenera eum regulas ordinis perficere, tunc aliquis ex ipsius propinquis, sive pater, sive mater, fidejussoris veluti loco illas in pueruli gratiam observare debet, donec sit ille aliquantulum provectioris ætatis. Regulæ ordinis hæ sunt: Bis singulis hebdomadibus jejunare, diebus Mercurii, & Veneris ab omnibus cibis sanguineis & lacte abstinere, quadragesimali tempore jejunio ad serotinum usque tempus corpus macerare, ita festis diebus Ecclesiam adire, ibique Missam audire; officium divinum ante Sacerdotis ordinem nulli exequuntur, ac post vicesimum quintum annum Sacerdotes ordinantur; qui quidem omnes supra allatas regulas ipsi coguntur observare. Qui vero recipitur in majores vel minores ordines, dat prius nomen Pontificis amanuensi, & pecuniam aliquam Patriarchæ tradit (scilicet tres denarios monetæ Anglicanæ) ac consecrationis tempore Pontifex, ad Sanctuarii januam stans capillos ejus abscindit, & capiti manu imposita, capillisque abscissis in crucis figuram, benedicit illi ac gratulatur simul quod in Ecclesiasticorum numerum adscitus fuerit: inde in Sanctuarium ingreditur, atque super sedem pontificiam sedet ministrique

ipsi

ipsi cingulum afferunt induti & ipsi indusio & cingulo, & Pontifex in illum confert reliquos ordines usque ad Diaconatum, ceremoniis illis adhibitis quibus Græci & Romani utuntur. Quod si de Sacerdotibus quæras, respondeo non eandem esse rationem: eliguntur quidem illi, sed absentes, ordinis tempore in Ecclesia capiuntur sed reluctantes, & per vim precibus variis, ac verbis veluti victi acquiescere coguntur: postea Sacerdotalibus vestibus induti ducuntur ad Pontificem in Sanctuarium, & ab eodem ordinantur, ut supra, quemadmodum apud alias gentes.

Præter hosce ordines de quibus hactenus egimus, habent & ordinem alium qui dicitur illis *Alcommus*, quales sunt vel Canonici vel Confessores, iique uti ordine Presbyterii à pontifice constituuntur, postque multas motiones ab eodem in templo ordinantur, potestatemque accipiunt peccata absolvendi in Confessione auriculari. Monentur vero à Pontifice, curam templi uti habeant, munere diligenter fungantur, caste vivant, ut hoc pacto ceteris sint castitatis exemplar quoddam. Ubi vero hoc munere defuncti sunt, Pontificatum adipiscuntur ut in capite de electione Patriarchæ diximus.

CA-

CAPUT XV.

De Sacramento Matrimonii.

MAtrimonium, ut in Cap. de Sacramento scripsimus, magnifice & solenniter celebratur: & hoc pacto fit in Ægypto. Sponsus & sponsa veniam primo petit à Judice Turca, qui enim sub imperio Turcæ habitant, uxorem ducere non possunt, nisi prius impetrata venia ab eo qui vices imperatoris gerit, qua quidem impetrata domum Cathedralem adeunt ambo, dantque nomina ut inscribantur, addita quadam pecuniæ summa, quam Patriarchæ solvunt: indicat ille diem nuptiarum, qua in templum conveniunt; atque accensis multis lampadibus & candelis in secunda & tertia ala, in qua solent esse feminæ, primo quidem in prima orationes multas & hymnos canunt in sponsi gratiam, eumque privatim monent atque hortantur: eundem postea in tertiam alam ducunt, atque una cum sponsa sedere jubent, ibique lectiones quasdam, nec non Evangelium, quod ad Matrimonium pertinet, solenniter recitant: ac si sponsus fuerit Diaconus ipsemet canit Evangelium, quod hac de causa pulpito inpositum est in secunda ala, idque lingua Coptica prius, deinde Arabica. Istæ

vero lectiones desumtæ sunt ex Libro Geneseos, ubi tractat de Abrahamo & Sara; deinde ex Paulo Apostolo. Evangelium vero ex Divo Johanne, de Nuptiis Galileæ. Quibus peractis sponsum per totam Ecclesiam ductitant, solemniter Hymnos ac Psalmos cantitantes, & multis lampadibus & candelis accensis eum comitantur. *Si* vero sponsus ipse fuerit dives, ex tormentario pulvere multa artificiose imitantur, & musicis instrumentis harmonice canunt, ac tantas nonnunquam in hisce pecunias insumunt, ut sæpe numerus excedat tria millia coronatorum Gallicorum. Quod ad dotem quam vocant attinet, quæ est Matrimonii veluti ligamen, dare tenentur viginti quinque coronatos Gallicos. Multi tamen Nobiles hosce Canones non observant, summum enim dedecus existimant tam paucas pecunias tradere, dant illi siquidem centum, quingentos, imo sæpe mille coronatos. Sponsa vero nullam dotem marito affert. Vestes tamen habet illa, & ornamenta quædam & nonnunquam domum. Ubi hæc peracta sunt, ducuntur ambo magnifice domum: ibique per multos dies laute vivunt ac genio indulgent; & postquam secunda matrimonii nox peracta est, in secretum cubiculum secundum usum convenit uxorem maritus, ac sequente die matutino tempore virginitatis signum ostendere debet coram omnibus,

bus, hoc est sanguinem illum, qui effluxerit, ex perfracta pellicula illa quæ medicis Virginitatis signum est, & dicitur hymen, qui quidem sanguis indusium maculare solet: sin minus id fiat, male audiet sponsa, & si jure suo uti voluerit sponsus, mittit illam rursus ad parentes, qui cogentur omnes sumtus persolvere, quos prius erogaverat sponsus.

CAPUT XVI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

EXtrema unctione fere nunquam utuntur, ut neque confessione Auriculari, neque Eucharistia (nullam enim habent in templo quemadmodum papicolæ, & Græci, asservatam) ægrotis tantum in extremo vitæ agone versantibus porrigitur, ac si adsit Ecclesiæ minister aliquis ægrotum hortatur, ut bono sit animo, speret diuturniorem ac feliciorem vitam, sin minus, à parentibus vel propinquis confirmatur, atque ubi è vita excessit in templum adducitur ibique Sacerdos orationes aliquot, & hymnos funeribus inservientes recitat: ac postea vel in Ecclesia vel in platea sepelitur; domi deinde per quadraginta dies, insuper uno post sex menses nec non & in fine anni defuncto parentatur, & hic est nobilium

mos: pauperes vero ac plebei mortis tempore.

Post tertiam diem, item quadragesimam, sex menses, & annum, unica die tantum mortuo parentant, ac funeris tempore ejus fit mentio; & domi in Ecclesia, dum Sacerdos orationes aliquot recitat. Et Arabico odore fumicat, ac thus Sepulchro infundit. Multæ præterea dantur pauperibus Eleëmosynæ, celebratur etiam Missa in animæ defuncti gratiam.

CAPUT XVII.

De Cultu Imaginum & Reliquiis Sanctorum.

RELigione Divorum Imagines colunt ac venerantur, & quidem in eo omnes gentes quæ sub sole vivunt, antecellunt. Habent illi (ut in Cap. De Forma Templi diximus) loca peculiara quædam in quæ suas reponunt imagines. Diebus festis coram illis accendunt candelas & lampades, & si quando accedat aliquid adversi, aut immineat periculum aliquod, ad eas protinus concurrunt, ac sese in terram prosternentes & pectus pugnis percutientes, ab illis religiose & lacrymis multis auxilium petunt,

ac

ac sese sæpe juvari ab iisdem credunt. Nullum sculptile habent, quia idola esse existimant; habent tamen ligneas imagines depictas Græcorum more, nec novis, quemadmodum Papicolæ, utuntur imaginibus, sed sola Virginis Mariæ, item Doctorum primitivæ Ecclesiæ, Georgii, Theodori, item Matyrum, Antonii, Marci, & Divorum Patrum. Imaginem Dei Patris & Spiritus Sancti non habent, sed Christi, quem una cum Matre in ædibus privatis depictum habent & colunt religiose. Atque hactenus de cultu imaginum.

CAPUT XVIII.

De Monachis & Monachorum habitationis loco.

MOnachi apud Jacobitas, atque ii, quos in genere religiosos Galli vocant, acerbius vivunt multo quam qui apud Europæos versantur. Observant scilicet antiquum quasi Divi Antonii ordinem & Macarii, qui primi fuerunt apud illos, atque ea loca in quibus olim habitarunt etiamnum incolunt, nempe Thebaïdem vel Scythiam quæ sunt partes Ægypti. Ab omnibus ci-

bis, qui libidinem excitant, diligenter abstinent: toto vitæ curriculo pane solo & leguminibus quibusdam vescuntur, præterquam Paschatis tempore, & Natalis Christi. Tunc enim ova & pisces, si forte invenire possint, comedunt; in cultas urbes nunquam proficiscuntur: soli è monasterio exeunt Priores & ministri *Monasteriorum*, ut stipem cogant. Si vero aliquando necessitate, quæ, ut vulgo dicitur, suprema lex est, cogatur exire aliquis, impetrat prius ab Abbate vel Priore veniam, quæ ipsi in certum tempus conceditur, quod si intra illud non redierit dat pœnas, & rigidam cogitur agere pœnitentiam. Noctes ac dies in exercitiis Spiritualibus & orationibus versantur, præter laicos, qui missæ celebrandæ non inserviunt. Clerici vero qui monasterio aliquo jure inserviunt, munere suo debent fungi. Monachi non delicatis ac sericis, sed duris ac pauperrimis vestibus induti incedunt. Nullus enim ex iis vestem toto vitæ curriculo fere mutat, sed si quando dilacerata vel disrupta fuerit, panniculamentis operiunt: vestiuntur illi scilicet indusio, & supra indusium toga ex lana crassiori confecta. Nudis pedibus sunt in monasterio: in itinere calceis nonnunquam utuntur: Cucullum gerunt & pileum in ollæ formam fabricatum; nullum habent in capite signum, quemadmodum Papicolæ & Græci habere se-

solent. In Eremis ubi habitant nefas est mulieri, vel bruto feminæ versari nec quisquam in monasterio potest transire ad Mochachatum. Omnes ferme singulis hebdomadibus destinantur ad opus aliquod Mechanicum, quemadmodum ad mandanda terræ semina, vel ad agros inarandos, vel ad molam, vel ad clibanum. Ita ut nunquam per otium terant tempus sed semper vel operi vel precibus, vel aliis conficiendis vires ac nervos adhibeant. Studia divina sunt illis nimirum Vitæ Sanctorum & libri aliquot Spirituales ad orationem pertinentes, in quibus animum sedulo solent exercere. Quadragesimæ tempore, maxima ex parte qui provectiori sunt ætate, in Eremis dies ac noctes μόνοι versantur. Jam agendum de Sacris virginibus, quas quedam religiosas vocant, sunt enim apud Jacobitas quemadmodum apud Papicolas & Græcos. Illæ semper clausæ manent in monasteriis neque unquam egrediuntur, nisi cogat necessitas quasdam ex iis quæ primas partes vel principatum tenent, exire, quia fortasse utilis erit exitus, & monasterio conducet.

Vescuntur in omnibus quemadmodum Monachi, quorum antea meminimus, præterquam quod nullum habent illæ commercium cum advena ceu allophylo, nisi in Monasterio, ubi ipsæ clausæ sunt, vel in Refectorio vel in Choro, ubi licet illis sese

in vicem videre. In monasterium nulli intromittuntur, nisi velint Anathemate feriri. Licet tamen nonnunquam nobilibus feminis, venia prius à Patriarcha impetrata, ingredi, ut monasterium invisant & eleëmosynam exhibeant. Solent autem monasteria ista in cultis urbibus fabricari juxta Ecclesiam aliquam ut Missam diebus festis audire possint.

CAPUT XIX.

De Jejunio.

QUater singulis annis solent illi jejunare, primo quadragesimali tempore, à Dominica Septuagesimæ ad Pascha usque, idque observant tum Laïci, tum ii quos Religiosos vocant Galli, omnes denique qui decimum sextum ætatis annum attigerunt. Pane solo & leguminibus atque herbis, oleo olivarum nequaquam conditis, vescuntur, ac semel duntaxat per diem, vespertino scilicet tempore. Secundum Jejunii tempus est Adventus a decima quinta die Novembris usque ad natalem Christi, quæ incidit in 25. diem Decembris, ac tunc quidem à carnibus & à lacte abstinent, cum pisci-

piscibus liceat vesci. Tertio in gratiam Beatæ virginis Jejunium celebrant; inchoatur autem vicesima quarta die Septembris, & desinit Assumptionis tempore, hoc est decimo quinto mensis Augusti. Quarto ac postremo in gratiam Petri & Pauli Apostolorum inchoatur Jejunium prima Dominica Pentecostes & usque ad feriatum eorundem diem productum qui incidit mense Junio, sed non est certo constitutum Jejunii spatium, fit enim secundum Paschatis cursum, & hoc tempore ut & adventu pisces comedunt, non autem dum in gratiam virginis Mariæ jejunant, quemadmodum nec quadragesimali spatio.

CAPUT XX.

De Peregrinationibus Religionis ergo.

Solent Jacobitæ peregrinationes quasdam suscipere Religionis ergo, verbi gratia, multa exstant loca in Ægypto, ubi Sanctorum corpora & imagines Beatæ Virginis adservantur, de his sentiunt illas egregia multa miracula edere. Plerumque solent circa mediam quadragesimam Hierosolymam



proficisci, & quia iter non est tutum à latronibus; ceu Arabibus, in Ægypti Metropoli solent omnes congregari, sive Jacobitæ fuerint, sive Græci, sive Europæi, Mercatores, Artifices, Peregini, perinde est. Postea in unum coëunt corpus (unam Caravanniam vocant illi) numerus vero tantus est Peregrinantium nonnunquam, ut quinquaginta, sæpe sexaginta, hominum millia excedat. Postquam ita in unum coadunati sunt, camelos conscendunt, & sese viæ committunt, atque ita duodecim vel quindecim dierum spatio Hierosolymam; perveniunt, sed antequam illuc pervenerunt, primo Gazam urbem ingrediuntur, deinde Cateam inde Ravilay, in tribus hisce locis omnes Vectigal Turcæ pendere coguntur, octo Coronatos Gallicos, qui sunt subditi, duplum dant reliqui, nimirum sexdecim; cum Hierosolymam pervenerunt, rursus quatuor coronati dandi sunt à subditis, à cæteris octo, atque in hospitio quodam commorantur dum Hierosolymis degunt, & per sanctam septimanam integram loca sacra invisunt.

Die vero Sabbati congregantur omnes in Templo sepulchri, ibique Missam audiunt, quam omnes Pontifices qui adsunt, separatim in variis ædiculis celebrant. In ædicula Sepulchri solus Jacobitarum Patriarcha si adsit, seu minus, ipsius Vicarius

cum

cum aliquibus Ecclesiasticis Abyssinis (super quos, ut ajunt, lux e sepulchro Sancto egreditur) hora consecrationis Missam celebrat. Custodes vero Turcæ candelas & lampades omnes in Templo die illa accensas extinguunt, quæ postea luce diurna quæ egreditur è sepulchro, accenduntur. Sed hoc figmentum esse multi arbitrantur, & revera figmentum est. Potuit (ut multi testantur) hoc fuisse antiquitus, cum rari essent illi, qui Christianam Religionem profiterentur. Nunc vero cum fides per totum terrarum orbem diffuse expandatur, hisce miraculis opus non habemus: sed tamen ut bene sentiant Turcæ de Religione Christiana, Technis istiusmodi, quæ tamen nihil invehant mali pietati Christianæ, credulis simplicium animis solent illudere; fingentes luce quadam, quæ ex sepulchro emicuerit accensas lampades, cum ii lampadem è sepulchro suspensam accendant, atque ex eadem minister cæteras accendat, cum antea exstinctæ fuissent. Et hoc quidem fit à Jacobitis, sive Æthiopibus, quia illi Missam celebrant, Europæi multi hoc credunt, Græcis & Chaldæis in hoc negotio imponere ἀδύνατον.

Ubi prima dies Paschatis præteriit, loca Sancta, quæ sunt extra Hierosolymam, invisunt, ut pote Bethlehem, Jordanum fluvium, & Passionis reliqua loca, idque fit

per totam Paschatis hebdomadem, quibus peractis redeunt omnes in Patriam. Sed habent etiam loca peculiaria quædam in Ægypto ad quæ se religionis ergo conferunt, præcipue vero Virginis Mariæ Templum solent adire. Existimant enim, octava die Septembris, quæ est Virginis Natalis, Beatam Virginem una cum quibusdam Sanctis phantastico quodam modo in circuitu sanctuarii apparere. Istud ut videant multi in Templum concurrunt.

Habent & loca alia Sanctis dicata variis, ut pote Divo Georgio, D. Antonio, & aliis, & quoniam multa dicuntur edere miracula, plerique eo concurrunt religionis ergo, & animalia secum adducunt, in Sancti ipsius gratiam, eaque immolant, cumque eadem in Templo coxerint, in eodem comedunt.

CAPUT XXI.

De Cibis & Ratione Victus.

CUm infensissimus sit calor quo appetitus languescit ac sitibundi in hepate spiritus ad potum exacuuntur, resarciunt & reficiunt corpora nimio æstu languentia beneficio cibi aut potus frigidi, ceu alimen-

to-

torum frigidorum suffectione, quibus abundat regio; & licet singulis fere diebus boum sex, ovium duodecim millia mactentur, malunt tamen maxima ex parte lacte, herbis, & aliis vesci. Bis tantum aut ter per hebdomadem carnes comedunt Laici. Reliquis diebus vel piscibus vel lacte vel herbis vescuntur, diebus vero Mercurii, & Veneris præter pisces & herbas nihil comedunt. Comedendi modus hic est.

Duplicatis sub se genibus terræ insident, circa mensam coram illis extensam. Ecclesiasticus si quis adsit, accepto pane, & in frustula manibris, cultro enim nefas est, diviso, singulis postquam mensæ benedixit, frustulum porrigit, quo accepto sese omnes ad comedendum accingunt.

CAPUT XXII.

De Educatione Liberorum & Scholis Publicis.

INstituuntur apud Jacobitas Liberi in Scholis publicis, in quibus Sacras litteras & honestos mores addiscunt; non sunt enim scientiarum studia; discunt tantum legere & scribere tum Arabice tum Coptice. Solent

lent præterea pueruli in iſtis ſcholis Pſalterium totum, & Pauli Apoſtoli Epiſtolas memoriæ mandare. Plerique Arithmeticam & Geometriam addiſcunt, ſunt enim hæ duæ artes iis apprime utiles, & neceſſariæ propter inundationem Nili: perduntur enim agrorum termini, & metiri terram oportet, & annuos proventus *harum* artium beneficio numerare.

CAPUT XXIII.

De Exercitio Nobilium & Plebejorum.

NObiles maxima ex parte Principibus Turcis ſolent eſſe à ſecretis, Cancellarii, Quæſtores, munerum regalium Procuratores, vectigalium ac decimarum Oeconomi &c. Ita ut totum Turcæ Theſaurum, quem ab illa regione evehit, habeant præ manibus. Solent alii eſſe Arithmetici, alii Geometræ, quo terram metiri poſſint & pecuniam, quæ ex Ægypto educitur, numerare. Plebeji vero vel ſunt opifices vel ſervi. Opifices omnes artes exercent, vel enim ſunt Aurifabri vel Gemmarii, vel Sutores, vel Fabri, vel Sartores vel Cæmentarii, vel Sculptores, vel Architecti &c.

Ser-

Servi vero tam Turcis quam Christianis, & Hebræis inserviunt. Et hæc de Jacobitis hactenus, quæ quidem etsi inelegantiora videbuntur, dabis veniam, & ad majora animum accendes, hisce interim fruere.

FINIS.



IN-

INDEX

LOCORUM

SACRÆ SCRIPTURÆ,

Quæ in hoc opuſculo citantur,

Ex Veteri Teſtamento.

GENESIS.

EXODUS.

LEVITICUS.

NU-

INDEX.

NUMERI.

DEUTERONOMIUM.

I. SAMUEL.

I. REGUM.

I. PARALIPOMENOM.

PSALMI.

XC.

MAR-

INDEX.

MARCUS.

JOHANNES.

ACTA APOSTOLORUM.

I. EP. AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

EP. AD HEBREOS.

EP. AD EPHESIOS.

EP. AD COLOSSENSES.

EP. I. AD TIMOTHEUM.

EP. AD TITUM.

INDEX RERUM.

A.

B.

C.

nide

D.

E.

F.

H.

He-

O.

P.

R.

S.

T.

FINIS.





